This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

10/6 mtt

Ordered
by Mr. J. W. Nutt

THEATRUM FATI,

SIVE

NOTITIA SCRIPTORUM

DE

PROVIDENTIA, FORTUNA ET FATO.

AUTORE

PETR. FRID. ARPE.

ROTERODAMI,
TYPIS FRITSCH ET BÖHM,
MDCCXII.

LHC
210. m. 501.

SENECA Epiſt. CVII.

Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocunque placuit; nulla parendi mora eſt.
Adſum impiger: fac nolle; comitabor gemens.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt;
Maluſque patiar, quod pati licuit bonis.

Illustrissimo ac Exellentissimo

VIRO,

JOANNI HENRICO

AB AHLFELD,

Domino

IN SESTERMUHE;

ORDINIS DANNÈNBROGICI

Equiti Splendidissimo,

REGIÆ MAJESTATI DANIÆ

A B

Intimis et Sanctioribus

CONSILIIS,

A D

SUMMOS ET PRÆPOT.

BELGII ORDINES

LEGATO,

PATRIÆ PATRI

IN

SÆCULI

Decus et Emolumentum

NATO,

HOC

THEATRUM FATI

OB

SUMMA IN SE MERITA

L. M. Q.

D. D. D.

AUTOR.

PRÆFATIO.

SI ulla unquam celebris inter Philoſophos agitata eſt quæſtio, de Fato *illa fuit, quam nemo, licet ſummam ei curam diligentiamque attulerit, explicare penitùs potuit. Quilibet, qui ingenio valet*, de Providentia Divina, Fortuna & Fato *ſententiam proponit ſibi quam ſequatur; ſed plerumque tot dubiis plenam, tot nodis implicatam, quot vix ſapientiſſimus ſolvere poteſt.*

Sive quid ſoliti, ſive inſoliti accidit, Fato hoc eveniſſe dicunt: ſi verò ultra verbum progrediuntur, & æternæ Providentiæ Decreta *reſerare audent, non minus obſcura eorum oratio ſit, quàm* HERACLITI de

Natura *liber*, *qui interpretes ferè omnes fefellit.* Nodus *hic eſt* Gordius, Sphyngis ænigma, Minoïs Labyrinthus, *& quicquid obſcurum & ineluctabile finxit Antiquitas.*

Quod cùm perſpiceret EPICURUS, *inſanientis ille Sapientiæ conſultus, nodum ferro diſcindere, &* Providentiam *funditùs tollere, temerario auſus eſt conſilio.* Schola *è contra* SOCRATIS, *cùm mirabilem rerum ordinem attonita contemplaretur*, duram *introduxit* neceſſitatem & inexorabile Fatum. *Quod ſe poſſe inveſtigare illi non deſperant, qui* Fata ſcribunt, *& leges* Parcarum *acutiſſimè ſcilicet interpretantur. Sed valeat* EPICURUS, *parcus Numinis Cultor & infrequens: valeat* Schola Stoïcorum, *rigida nimis & perplexa: valeant* Vates, *ni præcoci ingenio metas ponunt, ſubito & inopino caſu ruentes:*

Prudens futuri temporis exitum,
Caliginoſâ nocte premit, Deus. *

Ima-

* Horat. lib. 3. Carm. od. 29.

Imaginem vitæ ſuæ proponat ſibi quivis tanquam in tabula, concatenatam inveniet rerum ſeriem, quam nec ſcire, nec leviter conjicere potuit. Mirabilibus tamen illis Mæandris mirabilis ordo ineſt, quo conſtat, orbem hunc non ſine Rectore ferri, nec caſum merè fortuitum illum, regere.

Scilicet eſt aliud, quod nos cogatque rogatque,
Majus, & in proprias ducat mortalia leges. *

Hoc quid ſit, & quomodo fiat, quid ſit Fatum, quid neceſſitas, quid caſus, quantum Providentiæ Divinæ ſit tribuendum, quantum naturæ, quantum nobis, materiam dicendi Philoſophis ſuppeditat ampliſſimam, & gravem, *quam potiſſimùm ſelegi, de qua ad Te verba facerem, quòd nihil Te, niſi amplum & grave, deceat. Verum dum huic veritati manus porrigo, &* TUO SPLENDORI

ut

* Manil. lib. 4. Aſtron.

ut conſulam ſtudeo, meæ periclitantur vires, hæreo non ignarus,

Quid humeri ferant, quid ferre recuſent.

Ac parum abeſt, quin ſubticeam. Id ne fiat, ipſum negotium in aliud diferre tempus, & cùm diligens præparatio omnibus negotiis prius quàm aggrediare adhibenda *ſit*, * Notitiam clariſſimorum Virorum *præmittere liceat, qui de his quæ ſunt talia, ſententias ſuas literarum monumentis conſignatas poſteris reliquerunt. Erit enim hoc modo facilior ad ea, quæ reſtant, aditus, & innoteſcent certiſſimi in anfractibus Duces. Nec* TUÆ EXELLENTIÆ *ingratum fore auguror, Scriptores celeberrimos, antequam in arenam deſcendant, contemplari, eorumque vitæ fabulam cognoſcere. Nec illi recuſant* Tuis auſpiciis *in lucem prodire, quem omnes qui norunt, colunt, venerantur.*

* Cicer. lib. 1. de Offic.

THEATRUM FATI.

PRimus, qui in ſcenam prodit,

HERMES Hermes.

eſt, literarum inventor & ſapientiæ benignus Parens; in quo Hiſtoria conſentit omnis, diſcors aliàs & inconſtans ſibi, fuiſſe reliquis clariorem præſtantioremque mortalibus. Ad hunc certatim inventarum artium gloriam referebant Ægyptii, & aliquot millia verſuum in omni doctrinæ genere reliquiſſe, Autores tradunt. *

Non igitur ſtatuendum, ut putabat *Becanus*, nullum omnino fuiſſe *Hermetem*; ſed potius plures variis ætatibus celebres extitiſſe, quos *Hermetes* promiſcuè dixerint, licet eorum ſcripta ad unicum *Hermetem* illum *Triſmegiſtum* fuerunt relata,

A Anti-

* *Clemens Alexandrin. Stromat. lib. 6. pag. 633.*

Antiquorum more, quo Pythagoræi egregia inventa ad *Pythagoram* referebant; Ægyptii ad *Hermetem*. Quod inſtitutum, cùm in ipſo ignorantiæ ſæculo obtinuerit, maxima inde ſcriptis, quæ *Hermeti* tribuuntur, ineſt diſſonantia, maxima inæqualitas. Quorundam Autorem vix ſanæ mentis eſſe credideris, quorundam licet dubia, non tamen planè rejicienda autoritas. In his biga ſcriptorum eſt, quorum alterum *Poëmander* inſcribitur, *Aſclepius* alterum, in quibus *Hermes Triſmegiſtus* [licet ipſe Autor non ſit, ſed junior quidam, ex Schola, ut videtur, *Platonis*] diſſerens introducitur, *de Rebus divinis*, *de Sapientia & Providentia & Fato*. *Aſclepium* jam *Apulejus* Madaurienſis, ſi credimus, in linguam Latinam tranſtulit; *Poemandrum Leonardus* Piſtorienſis, probus Monachus, ex Macedonia *Marſilio Ficino* attulit, qui Latinitate donavit & edidit. Veluti uterque tractatus, tum in Operibus *Ficini* Baſileæ 1576. *fol.* tum in Collectione illa truſtulata Platonicorum, quæ apud *Jo. Tornæſium* 1607. *in* 12. facta eſt, apparet. Manuſcriptum exemplar commemorat *Lambecius* * ex Bibliotheca Cæſarea, à quo non differre arbitror, libros *de Providentia & Fato*, quos libro VII. † Commentariorum eidem *Hermeti* tribuit.

Alium

* *Lambec. Comment. de Bibl. Vindobon. l. 7. p. 35.*

† *Idem d. l. pag. 27.*

Alium Codicem Manuſcriptum in Bibliotheca Vaticana extare, obſervat *Poſſevinus.* *

Ampliſſimum Commentarium in *Poëmandrum* duobus voluminibus *in folio* edidit *Hannibal Roſſelius*, Cracoviæ 1595. *fol.* mirè ineptiens. Sunt itidem alii, qui hæc *Hermetis* Opuſcula emendare voluerunt, ſed meras colligunt lacinias.

DEMOCRITUS

DEMOCRITUS & PYTHAGORAS *cum Diſcipulis.*

APud Græcos antiquiſſimus, qui mihi occurrit, eſt, Abderites, inſignis Philoſophus ſapientiâ dictus. †

Cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, magnaque exempla daturos,
Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci. ‡

Huic cùm neutiquam lateret, inenarrabilem non de ſe, nec de nihilo rebus ineſſe ordinem, ex Magorum & Ægyptiorum ſententia, ad quos exilium potius quàm peregrinationem ſuſceperat, multa in illo Opere *de Providentia* diſſeruit, quod ei tribuit Laërtius. ⊥

* *Poſſev. in Appar. Sacr.* † *Clem. l. 6. Stromat.*
‡ *Juven. Sat. x. v.* 50. ⊥ *Laërt. in vita.*

Illum continuo riſu excepiſſe ineptos cives ferunt: quid non? cùm Providentiam ipſe ſciret, modum noſtris ponere conſiliis, & continuo nexu per varias ambages ducere. E contrà cæcutientes videret ſuos, Numinis curâ neglectâ, inſaniente pruritu ad ambitum, ad honores, ad voluptates currere.

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus. *

Quod quidem ejus inſtitutum adeò probabat *Seneca*, † ut hunc ad imitandum Philoſophis præ cæteris proponere non dubitaret; ex quibus

PYTHAGORAS

ſcenam noſtram ingreditur; Vir utique ſummus, quem *Democrito* modò anteposuiſſem, [uti tempore prior eſt] ſi conſtaret, ipſum opus de Providentia reliquiſſe. Agnoviſſe quidem Fatum, ac Deum providam noſtri curam gerere, *Laërtius* autor eſt: ‡ de ſcriptis verò ejus, eorumque compilatoribus, magna inter doctos controverſia. Sunt qui eum nihil ſcripſiſſe aſſerant;

* *Juvenal. Sat.* x. *v.* 33.
† *Seneca de Tranquill. Anim. cap.* 14.
‡ *Laërt. in vit. lib.* 8.

rant; * alii varia ipſi tribuunt opera, † de quibus hoc loco multa dicere non vacat. Neque de ejus tranſmigratione animarum ſermo erit, quæ ad literam ſumpta, durum animæ imponit fatum, dum illam accipere poteſt.

Canis immundus vel amica luto ſus. ‡

Sed ut aliis ænigmatibus velavit veritatis faciem, ne populo quem odit philoſophia proſtitueret, ita & hic ſub velo agit.

Quæ verò ejus ſententia *de Fato* fuerit, clarius docuiſſet

CRITO ſive DAMIPPUS

Pythagoræus, ſi & hujus liber extaret, quem *de Fortuna* citat *Stobæus*, ⊥ qui itidem

EURYSII

neſcio cujus librum *de Fortuna* commemorat β, &

HIPPODAMI *Thurii* Pythagoræi opus *de Felicitate.* γ

* *Laërt. d. l.* † *Jambilich. de vit. Pythag. lib.* 1. *cap.* 19. ‡ *Horat. lib.* 1. *ep.* 2. ⊥ *Stob. in ſentent. Serm.* 1. *pag.* 29. *& in Eclog. ethic. de eo quod in noſtr. poteſt.* β *Idem in Eclog. phyſ. lib.* 1. *c.* 10. γ *Idem Serm. c.* 1.

PHILOSOPHI STOÏCI.

RElíquorum Philoſophorum ſcripta ad *Socratis* ætatem commemorare nulla potero. In Placitis verò de Fato, uti Phyſici erant, id eſt, ſeduli Naturæ ſcrutatores, proximè accedebant Chaldæis, acerrimis Fati propugnatoribus. Quorum ſententiam nec

SOCRATES,

Græcorum facilè ſapientiſſimus, mutavit; cùm Philoſophiam de natura traduceret ad mores, ex agro in urbem; ſed neceſſitatem rerum omnium actionumque ſtatuit, quam nulla vis rumpat. * Hanc Præceptoris ſui mentem pluribus proſecutus eſt

ZENO,

Mnaſii, ſeu *Demei* filius, Citticus ex Cypro oriundus. Hunc Fatum acerrimè propugnaſſe, quid mirum? cùm fato ſeu inopino caſu, ad ſtudium Philoſophiæ fuerit illectus. Mercaturam exercebat, & purpuram ex Phœnicia advehendo, divitias ſibi facilius parabat, quàm ſanam mentem, ignarus Philoſophiæ, & inanis, ut putabat, ſtudii contemtor. Sed, dum lætus aliquando in nave pretioſiſſimis mercibus onuſta Athenas proficiſcitur, in Piræeo triſte facit naufragium, & omnia pereunt

* *Senec. natur. Quæſt. lib. 2. cap. 36.*

pereunt bona. Tantâ ille jacturâ animi impotens, cùm per urbem vagaretur, fortè librarii adſtitit tabernæ, & *Xenophontis* Commentariorum lectione delectatus, ubi hujuſmodi viri degerent quæſivit. Prætereuntem digito monſtrabat *Cratetem* librarius, in cujus diſciplinam illicò conceſſit, & ſtudio indefeſſo reliquos condiſcipulos brevi temporis ſpatio, facilè ſuperavit. Quanta ejus fuerit vitæ innocentia, ex proverbio patet, quo continens dicitur, *Continentior Zenone.* Quanta ejus doctrina, ex eo, quòd novam in Philoſophia Sectam Stoïcorum condere potuerit, quam ſecuti poſtmodum ſunt Principes civitatum, viri lectiſſimi, qui fato omnia fieri putabant, quòd iis eſt connexa rerum ſeries ſive ratio, per quam mundus regatur. *

Adſcribunt ſaxis Lacheſis quoque fortia fila,
Tectorumque trabes fuſis pendere rotatis
Credunt, atque ipſis tribuunt decreta ſigillis. †

Sive *Senecæ* verbis, ‡ Fata jus ſuum peragunt, nec ullâ commoventur prece, non miſericordiâ flectuntur, non gratiâ. Servant curſum irrevocabilem; ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum

* *Laërt. in vit. Zenon.* † *Prudent. lib. 1. adv. Symmach.* ‡ *Senec. lib. 2. cap. 35. nat. Quæſtion.*

aquâ torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat; ſic ordinem fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt: *Stare decreto.* Hanc ſententiam tenuerunt omnes, quibus *Zenonis* Placita arriſerunt, *Poſidonius* in ſecundo de Fato, *Chryſippus* in libris de Fato, & *Zeno*, & *Boëthus* quoque in undecimo de fato, inquit *Laërtius.* * Ex quo patet, *Zenonem* noſtrum *de Fato* ſcripſiſſe, licet idem Autor, dum reliquorum ejus ſcriptorum numerum init, ejus ne verbo meminerit, quod quidem excidere nimis occupato potuit, aut librariorum vitium eſt. Cæterùm Præceptoris veſtigia, ut diximus, legit

CHRYSIPPUS,

Apollonii filius, Solenſis ſeu Tarſenſis, inſignis ingenii & eruditionis Philoſophus, qui, cùm omnes ſcientiarum partes ſeptingentis, ut legimus, voluminibus complexus eſſet, aliquot itidem libris *de Fato* egit. In his cùm multis argumentis, tùm præcipuè ex divinatione & oraculis confirmaſſet implacabile Fatum, ſurrexit in eum

DIOGENIANUS

Peripateticus, & ipſius ſententiam coarguit, uti latius, & non ſine cura explicat *Euſe-*

* *Laërt. l. 7. in vit. Zenon. p. 459. ex edit. Meibomii.*

Euſebius, * diverſum à *Chryſippo* ſentiens, ejuſque ſententiam, ut nimis rigidam, emolliens.

Hujus æqualis erat

SPHÆRUS,

Boſphoranus, *Zenonis* itidem auditor & fidelis aſſecla. Is, cùm *Chryſippus* aulæ fortunam experiri conſtanter recuſaret, attamen quendam ex diſcipulis à *Zenone* peteret, *Ptolomæus Philopator* in Ægyptum venit, & vacillantis fortunæ ludibria expertus, *de Fortuna* ſcripſit. † De Fato verò

BOETHI & POSIDONII

Alexandrini commentationes citantur. Alterius meminerunt *Cicero* ‡, *Diogenes* ⊥, *Philo Judæus* β, *Euſebius* γ. Alterum *Suidam* ſecutus, noli cum *Poſidonio* Apameenſi ſeu Rhodio, *Pompeji* & *Ciceronis* familiari confundere; temporis enim adverſatur ratio, cùm is, de quo nobis ſermo eſt, *Zenonis* noſtri Cittici fuerit auditor, qui ſub *Antigono* floruit.

* *Euſeb. Præpar. Evang. lib. 6. c. 7.* † *Laërtius in vit. Sphæri, lib. 7.* ‡ *Cic. de Divinat. l. 1. & 2.* ⊥ *Laërt. in vit. Zenon.* β *Philo de Mundi Æternit.* γ *Euſeb. lib. 14. Præp. Evang.*

HI omnes cùm magnâ animi contentione & inſolubilibus, ut credebant, argumentis, Fatorum neceſſitatem conarentur oſtendere, extitit

EPICURUS.

EPICURUS

Athenienſis, & in reliquos Philoſophos recalcitrans, ut pullus indomitus, tritam reliquit ſemitam, & *de Deorum forma, Dæmonibus & Divinatione, de Peccatorum æqualitate, de Elementorum craſi, de Diviſione continui, de Magnitudine ſiderum*, ſingulares ſelegit & edidit opiniones: novæ ſcilicet Sectæ conditor, laudiſque propriæ diligens ſectator.

Hinc cùm primò à *Pamphilo* Platonico, & *Nauſiphane*, Philoſopho Pythagoræo inſtitutus, ſe Democriteum profiteretur, mox diſceſſit in hortos & nauſeabundus cujuſcunque Magiſtri nomen reſpuit, ſibi ipſi præſtans omnia, otii magiſter, cujus adeò ſtudio flagrabat, ut ipſos Deos fingeret otioſos & planè in mundo hoſpites, vitam degentes ſine motu, ſine perturbationibus fœliciſſimam. Sed cùm eo argumento providam Numinis curam impius rejecerit, & in Opere *de Fato* * tueri auſus fuerit, vapulat apud multos, nec immeritò. Invenit tamen *Petrum Gaſſendum*, virum

* *Laërt. in vit.*

virum doctiſſimum, qui eum, quantum in ſe eſt, exculpat, & in Commentariis de ejus vita & ad librum x. *Laërtii* legi meretur.

MEdiam quaſi viam elegit

ARISTIPPUS, ARISTIPPUS.

genere Cyrenaicus, *Socratis* ſedulus auditor, vir ingenio leni omnibuſque temporibus accommodato, qui ſeveritatem reliquorum ſuæ Sectæ ita temperare noverat, ut *Dionyſio* Tyranno longè eſſet chariſſimus. Sed regia hæc gratia invidiam pariebat, invidia odium. Malè igitur audiebat apud aulicos, quòd Philoſophus; apud Philoſophos, quòd aulicus eſſet, qui omne cum Tyrannis commercium, ſervitutem & intolerabile jugum interpretabantur, Scholæ potius quàm Aulæ nati.

Hoc ſecum ac unà rerum humanarum lubricam inconſtantiam perpendens, ſcripſit librum *de Fortuna.* *

SIc ad reliquos *Socratis* diſcipulos accedimus, inter quos eminet PHILOSOPHI PLATONICI.

PLATO,

homo propè divinus, quo ſi parem, certè majorem ſuâ ætate non habuit Græcia. Ipſe

* *Laërt. in vit.*

Ipſe quidem non tam ſollicitus fuit ſingulari ſcripto ſententiam ſuam *de Fato & Providentia* explicare; ex mellifluis tamen Dialogis, tum illo, quem *Timæum* ſeu *de Natura* vocavit, tum quem *de Legibus* ſcripſit, tum ex aliis, excellens hujus viri doctrina patet.

Quod verò in iis inchoavit ipſe, poſtmodum fœliciſſimè perfecit

XENOCRATES,

Agathenoris filius, Chalcedonius, qui ſemper animo firmiſſimo & fideliſſimo in *Platonem* fuit. Homo continentiæ laude & virtutis ſtudio adeò conſpicuus, ut injuratum teſtem admittere Athenienſes non dubitarent; licet iidem mox in eum & Philoſophiam graviſſimè peccarent, cùm vœnundediſſent. Hoc an Fato, an ſuorum nequitiâ acciderit, in libro quod *de Fato* ſcripſit *, explicare penitius potuit. Idem octogenarius violento Fato occubuit, ut in veteri Epigrammate eſt. †

In pelvim quondam lapſus malè cautus ahenam,
Frontem læſit, & Ω vociferatus obit
Xenocrates, *vir ille, qui unus omnibus fuit omnia.*

Eum

* *Laërt. lib. 4. in vit.* † *Idem d. l.*

Eum poſt aliquod temporis intervallum in ſententia de Fato ferenda ſecutus eſt

AMMONIUS,

celebris Philoſophus tam placidi & pacati animi, ut eum Chriſtianis plerique annumerent. *

Sanè cùm unus omnium maximè floreret, eodem ſtudio Chriſtiani quàm Ethnici ad eum confluere ſolebant, ut ſub tanto Magiſtro, arcana Philoſophiæ diſcerent. Fuerunt in his præclariſſimi viri, & ex hoc ſeminario prodierunt fulcra ſapientiæ, diligentiſſimè à ſe formata. Ejus nomine fertur liber *de Fato*, quem alii fœtum eſſe ſuppoſititium contendunt. †

Hunc

PLOTINUS

Lycopolitanus per undecim annos ſedulò audivit. Vir ſanè præclarus, & dignus qui in Schola *Platonis* emineat, virtutis digniſſimum exemplar, qui patriâ nobis

Suppeditas præcepta tuiſque ex inclyte chartis. ‡

Sapien-

* *Bayle in Dictionn. critic. Petav. in Ration. Temp.*
† *Du Pin dans ſa Biblioth. tom.* 1. *pag.* 249.
‡ *Lucret. lib.* 3.

Sapientiæ ſtudio primis in juventute annis, non tam delectatus quàm gaviſus, cùm Magos Perſarum accepiſſet, facilè doctrinâ ſuperare omnes, nec militiæ nomen dare ſub *Gordiano* recuſavit, ut unà Perſiam intraret, cui bellum parabat Imperator, viroſque in ea celeberrimos conveniret. Rebus verò minus ex voto fluentibus, Romam venit, ibique magna in celebritate verſatus eſt, ad vitæ finem, qui ei anno ſecundo *Claudii* Imperatoris ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto contigit. Ejus opera quæ extant, in quibus liber *de Fato* eſt & alter *de Providentia*, *Marſilio Ficino* interprete prodierunt Baſileæ 1580. *fol.* Hujus vitam nobis tradidit

PORPHYRIUS,

ejus diſcipulus, cognomine *Malchus* Tyrius & aliis nominibus commendandus, niſi Chriſtianam Religionem virulento calamo libris XV. fuiſſet adortus. Hanc ejus impietatem deteſtantes, ipſi tamen inter Philoſophos noſtros locum denegare non poſſumus, memores ipſius opus, *de eo, quod eſt in noſtra poteſtate*, citari à *Stobæo* *. Ejus vitæ fabulam narrat ex antiquis *Eunapius*; ex recentioribus *Lucas Holſtenius*. De ejus verò Epiſtola ad *Abammonem* Ægyp-

* *Stob. in Eclog. moral. cap. ult.*

Ægyptium, in quo de rerum ſublimium arcanis tractat, modò in *Jambilicho* dicturi ſumus, poſtquam ob temporis rationem

PROCLUM

Bizantium, utroque parente Lycio oriundum commemoravero, qui tantâ curâ & aſſiduitate Philoſophiæ operam dedit, ut multis palmam abſtulerit, multis reddiderit dubiam. Is, licet aliàs mirâ ingenii lenitate, omnes Sectas veneratione quadam haud vulgari proſequeretur, nec minus Stagyritæ ſententias, quàm *Platonis* optimè noſſet, poſterioris Placita tamen præcipuè amplectebatur, iiſque conſona ſuis inſeruit libris, qui extant. In quibus eſt præclarum monumentum *de Providentia & Fato, & de eo, quod in noſtra poteſtate eſt*, ad *Theodorum* Mechanicum, cujus MS. in Bibliotheca *Lucæ Holſtenii* obſervavit *Morhofius* *, ex qua vi teſtamenti tranſlatum eſt Hamburgi in Bibliotheca Joannæa, ubi ejuſdem *Procli* liber *de decem Dubitationibus circa Providentiam* invenitur Latinè ex verſione *Guilielmi de Morbecka*, qui pleraque hujus Philoſophi circa annum 1280. ex Græco tranſtulit. Vitam *Procli* legere ſi deſideras, extat *Marinus*, ejus diſcipulus, qui eam haud ineleganter delineavit, quam

* *Morhof. Polyhiſt. pag.* 68.

quam demum *J. A. Fabritius* ex Bibliotheca Gudiana integram edidit Hamburgi 1706. *in* 4. & cum ipſius Bibliotheca Latina, Londini 1703. *in* 8.

Quod

JAMBILICHUM

attinet, natus ille Chalcide, Celo-Syriæ urbe celebri, prima literarum & ſapientiæ fundamenta ſub *Anatolio* didicit; poſteà inſtitutione & diſciplinâ *Porphyrii* tantus in Philoſophia evaſit, quantus ſuorum temporum quiſpiam. Imò verò *Pythagoræ* & *Platonis* mentem neminem ipſo rectius calluiſſe multis perſuaſum eſt. Præclara igitur ſunt ipſius ingenii monumenta, & præcipuè opus reconditâ eruditione refertum. *De Myſteriis Ægyptiorum*, in quo *Porphyrium* fingit ab *Abammone* Sacerdote apud Ægyptios multa, *quæ ad Deum*, *ad Angelos*, *ad Dæmones*, *ad Animas*, *ad Providentiam*, *ad Fatum*, *ad omnes Philoſophiæ partes ſpectant*, quæſiviſſe.

His reſpondet *Jambilichus* ſub *Anebonis* perſona, diſcipuli *Abammonis*, & prolixè ſententias antiquorum Philoſophorum de his producit. *Porphyrii* Epiſtolam, quantum ex ea ſupereſt, ſervarunt *Euſebius*, *Theodoretus*, *Auguſtinus*. *Jambilichi* opus primus Græcè & nitidè edidit *Thomas Gale*,

78. *fol.* Latinè vertit,
ecit, cùm *Nicolai Scul-*
ſio innumeris ſcateret

s agmen claudat

ℓ O C L E S;

nditione, ætate, ſcriptis,
Chriſtianos, eleganter &
it *Pearſon*, cùm ipſius li-
ovidentia & Fato Græcè &
ni 1673. *in* 8. prælo com-
ierunt aliàs cum Notis
i, Londini 1655. *in* 12. &
iotius *, ex quo diſcimus,
poſuiſſe, quæ ipſe apud ſe
de Juſtitia, & de Senten-
actorum merito ferenda me-
Secundo, Platonicas colli-
, ſuaque ex ipſis Operibus
re. Tertio, objectionibus
isfacere. Quarto, oracula
Platonis dogmata pro virili
Quinto, *Orpheo*, *Homero* &
ante *Platonem* celebrantur,
modò dictis doctrinam tri-
omnes etiam, qui poſt *Pla-*
ipſe *Ariſtotele* principe aſ-

& 251.

ſumpto, qui quidem aliquod ſibi nomen ſapientiæ pepererunt, ejuſdem ad unum omnes cum *Platone* eſſe ſententiæ. Quòd ſi qui conſentientes *Platonis* & *Ariſtotelis* opiniones dirimere aggreſſi fuerint, eos & nihili homines & fugiendos eſſe, adulteratores Scriptorum utriuſque ſtatuere. Sententiam ſeptimo: ex *Ammonii* diſputatione probare, utque *Plotinus* & *Origenes*, imò & *Porphyrius* & *Jambilichus*, & deinceps ordine cœteri, divinâ generatione editi, uſque ad *Plutarchum* Athenienſem [quem etiam Autorem talium ipſe nominat dogmatum] ut, inquam, hi omnes purgatæ *Platonis* Philoſophiæ addicti ſint.

PERIPATETICORUM SCHOLA.

REſtat ex Antiquis Peripateticorum Schola, quæ auſpiciis

ARISTOTELIS

Stagyritæ extitit & mirificè crevit. Quænam ejus de Fato fuerit ſententia, dubiis Autores pronuntiant effatis, & veteri formulâ: *non liquet*. *Hieroclem* modò aſſerentem audivimus eadem cum *Platone* ſentire illum *Alexandri Magni* Præceptorem: ac *Cicero* * *Ariſtotelem* Philoſophis annumerat Fatalem in rebus aſſerentibus neceſſitatem. Et Autor libri *de Mundo* ad *Alexandrum*,

* *Cicero de Fato.*

drum, qui *Ariſtotelis* nomen in fronte gerit, diligenter Fatorum ordinem & Parcarum nomina & officia explicat. Nihilominus tamen contrariam probare malim ſententiam, cùm uno ore omnes ferè conſentiant Interpretes, Fatum Ariſtotelicum merè eſſe Phyſicum, & ex *Lipſii* * & *Pendaſii* † ſententia: Ordo cauſarum naturalium, quæ niſi impediantur, vi & naturâ ſuâ certum, eundemque producunt effectum, ſive, ut *Theophraſtus* inquit: Fatum eſſe uniuſcujuſque naturam. Nodum de libro illo *de Mundo* jam ſolvit doctiſſimus *Naudæus* ‡, vivâ illâ ſuæ ætatis *Bibliotheca*, qui librum *de Mundo Ariſtotelem* mentiri Autorem multis argumentis probavit, & potius vel ad *Theophraſtum* [ut quibuſdam placet] vel ad *Nicolaum Damaſcenum*, vel ad Rhetoricæ Autorem *Alexandrum*, vel ad *Anaximenem*, *Alexandri* comitem debere referri. Alius itidem libellus extat ſub nomine *Ariſtotelis*, *de bona Fortuna*, cujus nec *Laërtius* meminit, nec integra fides eſt.

* *Lipſ. de Conſtant. cap.* 18.
† *Pendaſ. lib.* 2. *pag.* 25.
‡ *Naud. de Fato*, §. 18. *&* 19.

Ariſtotelis diſcipulus fuit *Theophraſtus*; *Theophraſti*,

DEMETRIUS PHALEREUS,

Phanoſtrati filius, ex *Cononis* familia urbana & nobili oriundus; homo ſapientiæ laude præſtans *: Diſputator ſubtilis, Orator parum vehemens, ut *Theophraſti* diſcipulus poſſis agnoſcere †. Is ſummam prudentiam in Philoſophia & Reipublicæ adminiſtratione ita Athenienſibus probavit, ut CCCLX. ſtatuas ei decernerent. Sed non multò pòſt populus acer, ſuſpicax, mobilis, adverſarius, invidus etiam potentiæ ‡, abſentem capitis damnavit, ſtatuis disjectis, merſis aut ſub haſtam venditis, ut vix una in arce reliquorum memoriam conſervaret. Exul hinc apud *Ptolomæum*, Regem Ægypti, floruit, cui chariſſimus erat. Cui cùm perſuadere tentaſſet, ut *Eurydices* liberis regnum relinqueret, nec perſuaſiſſet, ſub *Ptolomæo Philadelpho*, *Berenices* filio, abjectus ad vitæ finem delituit, qui ei ex aſpidis morſu nimis ſerò contigit. Is *de Fortuna*, quæ toties cum eo jocari voluerat, librum unum reliquit ⸸.

* *Pauſan. in Att. cap.* 23. *pag.* 43.
† *Cicer. de Off. lib.* 1.
‡ *Nepos in Timoth.*
⸸ *Laërt. lib.* 5. *in vit.*

Ex

Ex eadem Schola

PHILOPATRUM

de Fato ſcripſiſſe indicat *Nemeſius*;

POLIZELI

librum *de Fato* citat

ALEXANDER APHRODISIENSIS,

* ipſe meritò à nobis commemorandus, magni nominis Philoſophus, & *Ariſtotelis* diligentiſſimus interpres, quod nec ipſi negant adverſarii: *Beſſarion* † loco omnium ſit: *Quæcunque*, inquit, *tradit* Alexander, *non ſecus quàm ab* Ariſtotele *acciperemus, judicanda ſunt, cùm nemo omnium ſit, qui libros* Ariſtotelis *vel diligentius indagarit, ac rectius expoſuerit.*

Hujus libellus *de Fato* ad *Severum* & *Antoninum* Imperatores extat, excuſus Venetiis 1534. *fol.* Græcè 1634. *fol.* Gr. & Latinè, Londin. 1658. *in* 8. Sententia ejus eſt inter Sententias Philoſophorum, quas collegit *H. Grotius.*

Ex eo Excerpta quædam Græcè reliquit *Mathuſala*, Monachus S. Montis Sinaï ‡.

* *Naud.* §. 1. *de Fato.*
† *Beſſarion, lib.* 2. *Apolog.*
‡ *Lambec. Comm. de Bibl. Vindob. lib.* 7. *pag.* 87.

Et in MS. Bibliothecæ Scorialenſis liber *Aphrodiſienſis* noſtri ab incerto Autore in compendium erat redactus *: *Hieronymus Bagolinus* Veronenſis etiam, & *Joannes Baptiſta* filius verſionem ejus Venetiis 1541. dederunt. *Elegantiſſimum & doctiſſimum libellum vocat* Naudæus †, *qui inventione ſit fœcundus, ſententiarum pondere gravis, argumentorum copiâ nervoſus, peripateticâ methodo diſtinctus, dignuſque omnino Autore* Alexandro. De hujus obitu multa mentiri *Maternum*, quaſi de eo improbè *de Fato* ſcribente pœnas ſumſerit Fatum, *Picus* ‡ autor eſt.

ROMANÆ REIPUBLICÆ PRÆCLARI CIVES.

TRanſeo ad Romanos, in quibus illuſtris eminet

M. TERENTIUS VARRO,

Vir omnium judicio longè doctiſſimus, diligentiſſimus Antiquitatis inveſtigator, ut *Cicero* ⊥ inquit: Vir accuratiſſimè doctus & eruditus, ut *Apulejus* β. Ex Gallia Narbonenſi prognatus erat, ſed Romæ floruit maximis dignitatibus, maximâque nominis famâ conſpicuus, adeò ut hujus unius

* *Catal. MSS. Mſto. Dn. Reitzeri.*
† *Naudæus de Fato*, §. 21.
‡ *Jo. Picus*, *lib.* 1. *in Aſtrol.*
⊥ *Cicer. de cl. Orator. pag.* 201. *edit. Manut.*
β *Apulej. in Apolog.*

unius imaginem eorum qui viverent dignam duxerit *Asinius Pollio*, quam in Bibliotheca primùm ex manubiis publicata, poneret *. Septuaginta hebdomadas librorum scripsisse, quæ quadringenta & nonaginta numerum efficiunt, ipse apud *Gellium* † Autor est. In his fuerunt libri logistorici, ex quorum numero fuit *Marius*, *seu de Fortuna*, cujus *Macrobius* ‡ & *Nonius* ⊥ meminerunt.

Hujus amicus & familiaris erat literarum abundantissimus fons, β

MARCUS TULLIUS CICERO,

Arpinas, Princeps Reipublicæ & eloquentiæ Romanæ, qui meis laudibus non indiget. Vereor enim ne talium personarum, cùm amplificare velim, imminuam etiam gloriam. γ Eum pleno ore & antiqui deprædicant & recentiores. Is cùm civili *Cæsaris* & *Pompeji* bello Rempublicam in pejus ruere, & libertatem exspirare videret, vitæ molestias studio Philosophiæ leniebat. Egregiis ita monumentis, quæ

* *Plin. lib. 7. cap. 30. Hist. nat.*
† *Gell. lib. 3. c. 10. Noct. Attic.*
‡ *Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 18.*
⊥ *Non. in voc.* algo, torquea, modicum, Rapinatores.
β *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 2.*
γ *Cicer. Acad. Quæst. lib. 2. edit. 1.*

nemo ante eum eo ordine docuerat, nec erat unde ſtudioſi ſcire facilè poſſent, ea, quantum potuit fecit, ut eſſent nota poſteris *. In his libris *de Divinatione* & de *Natura Deorum*, *de Fato* adjecit unum, ſed temporum injuriâ, principio mutilum, in extremo mancum. Prodiit ille in Operibus, quorum editiones *Fabricius* enarrat in *Bibliotheca Latina*. Speciatim cum Notis *Adriani Turnebi*, cum Commentario *Georgii Vallæ*, Venet. 1492. *Achillis Tatii*, Luſitani, Lovan. 1552. *in* 8. *Petri Rami*, Pariſ. 1563. *in* 8. Francof. 1583. *in* 8. *Aldi Manutii*, 1583. Venetiis *in fol.* *Salomonis Geſneri*, Witteb. 1594. *in* 8. *Matthiæ Dreſſeri*, Francof. 1597. *in* 8. † Vitam *Ciceronis* multi exponere voluerunt, quorum nomina alio in loco à me citata repetere nolim.

Proximum ab eo locum occupat

LUCIUS ANNÆUS SENECA,

Marci filius, Cordubenſis, nulla in re *Ciceroni* minor, niſi tempore quo vixit. Ille enim liberâ Reſpublicâ floruit; noſter, cùm libido eſſet pro imperio. Rector imperatoriæ juventæ Neroni poſt exilium datus, præ-

* *Cicer. Acad. Quæſt. init.*
† *Lipen. in Bibl. Philoſoph.*

præceptis eloquentiæ & comitate honeſtâ ei, quantum potuit, conſuluit. Sed ſerpentem in ſinu fovebat, & monſtrum, quod nec fratri, nec matri, nec ipſi parcere noverat, cùm promiſcuâ cæde in optimum quemque ſæviret. Dubites tamen an in vita, an dum deſiit vivere, an jam clarior ſit, dum nec cineres reſtant. Clarus erat in vita, in morte conſtans, poſt obitum ſcriptis eſt immortalis. In quibus eminet aureus libellus *de Providentia*, ſive *quare bonis viris mala accidant, cùm ſit Providentia:* pars tamen hæc majoris ſolum eſt operis, quod publico interfuiſſet non periiſſe. Cujus ipſe rei teſtis eſt ſub initium: *Quæſiſti à me, Lucili, quid ita, ſi Providentiâ mundus ageretur, multa bonis viris acciderent malâ? Hoc commodius in contextu operis redderetur, cùm præeſſe univerſis Providentiam probaremus, & intereſſe nobis Deum. Sed quoniam de toto particulam revelli placet, & unam contradictionem manente lite integra ſolvere; faciam rem non difficilem, cauſam Deorum agam.* Idem ſcripſit *de Fortuitis*, ſive *de Remediis Fortuitorum*, *ad Gallionem* Poëtam, veluti in Fragmentis inſcribi ſolet. Meminit ejus *Tertullianus* in *Apologetico.* *

* *Nicol. Anton. in Bibl. Hiſpan.*

Triumvir his accedit

PLUTARCHUS

Chæronenſis, vir laudatiſſimus, *Trajani*, laudatiſſimi Principis, Præceptor, à quo Proconſulari dignitate ornatus eſt. Neutri priorum doctrinâ cedit; in ſcribenda Hiſtoria utrumque ſuperat. Bibliothecam ille ſolus reliquiſſet, ſi nobis præclariſſimis operibus frui liceret, quorum ultra ducenta compoſuit, uti narrat *Lamprias* filius in *Epiſtola de Parentis Scriptis*. Tabulæ tamen ex naufragio ſuperſunt præclaræ, tantique pretii, ut *Theodorus Gaza* interrogatus, ſi omnes libri mari eſſent immergendi, quis poſterior futurus, *Plutarchi* opera dixerit. In his libri 11. inveniuntur *de Fato*, quorum quæ ſint editiones, Saxoniæ ornamentum *Fabritius* in Bibliotheca Græca docet. Scripſit & *de Fortuna*, in quo extat, *Aſcanius Centonus Hortenſius*.

Præceptori Divi Principis meritò ejus jungimus amicum, *Paſicrati* filium,

DIONEM CHRYSOSTHEMUM

Pruſæenſem, quo adeò familiariter utebatur *Trajanus*, ut cum eo communi interdum

dum carpento veheretur. * Rhetor & Philoſophus inſignis, cùm ingenii laudem, quam ampliſſimam nanciſcebatur, ad poſteros propagare ſtuderet, plurimas orationes diligenter hinc inde habitas conſcripſit, quarum octoginta ad *Photium* pervenerunt, qui earum ſumma capita eo quo ſolet ſtudio recenſet Codice CCIX. Bibliothecæ. In his tres ſunt *de Fortuna*, gratas ſimul ac philoſophicas meditationes exhibentes, & LXXIII. *ſapientem fœlicem prædicat*, & ei proxima *de Fœlicitate* diſputat. Prodierunt hujus Orationes junctim Pariſiis Græcè & Latinè.

Huic ſuppar ſi *Voſſium* ſequimur †, aut ſæculo minor, ſi *Perizonii* ‡ argumentis ſtamus,

CLAUDIUS ÆLIANUS eſt,

Prænestinus, Pontifex & Sophiſta Romanus, *Meligloſſus* vel *Meliphtongus* dictus, quòd mellis inſtar ſuavem linguam vocemque haberet. Hic cùm ſe non ſatis idoneum ad declamationes faciendas ſentiret, animum adjecit ad ſcribendum, atque inde laudem & gloriam ampliſſimam reportavit. Cùm

* *Suidas*, *Photius in Bibl. Cod.* 209.
† *Voſſius de Hiſtor. Græc.*
‡ *Perizon. in Præfat. Ælian. Var. Hiſtor. præmiſſa.*

CHRISTIANÆ RELIGIONIS ANTISTITES.

EX Chriſtianorum Præſulibus infulatis primo loco prodit

BARDESANES

Syrus, ex Edeſſa, urbe Meſopotamiæ, oriundus, qui ſummam Chaldaicæ doctrinæ perfectionem & abſolutionem adeptus, * calamum ſtrinxit in ABDIAM Aſtronomum, Chaldæorum Placitis nimis anxiè inhærentem, cujus meminit *Epiphanius*. Hac mente Dialogum conſcripſit *de Fato*, & ad *Antoninum* Imperatorem miſit †, nullum illud eſſe aſſerens & fatuum, magnâ ſcilicet concitatione in Aſtrologos Chaldæoſque incurrens. De hoc *Bardeſane*, ejuſque aſſeclis diſſeruit nuper Wittebergæ *Fridericus Strunzius*. ‡

Huic à latere hæret

TERTULLIANUS,

ſive *Qu. Septimius Florens Tertullianus*, Presbyter Carthaginenſis, qui tum alia multa fœcundi ingenii monumenta poſteris reliquit, tum etiam librum *de Fato*, qui tamen intercidit. Meminit ejus capite XX. de Anima & *Fulgentius Placiades* de

* *Euſeb. lib. 6. cap. 8. Præpar. Evangel.*
† *Du Pin, tom. 1. Bibl. Eccleſ.*
‡ *Witteb.* 1710. in 4.

de vocibus antiquis. De ejus vitæ fatis ac doctrina, quòd vir acris & vehementis ingenii *Montani* hæreſin ſecutus ſit, * & quæ his ſunt ſimilia, nihil repeto. An enim & hoc fato eveniſſe, quis crediderit?

Tertulliano ſuppar fuit

MINUTIUS FELIX,

gente, ut videtur, Afer, inſignis Cauſidicus Romanus. Scripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici Diſputantium, qui inſcribitur *Octavius*. Sed & alius ſub nomine ejus fertur *de Fato*, vel contra Mathematicos, qui cùm ſit & ipſe diſerti hominis, non tamen mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire, inquit *Hieronymus* †. De ejus vitæ fabula & ſcriptis adeundus *Franciſcus Balduinus*, Cantabrigiæ 1707. *in* 8.

Floruit itidem ſeculo III.

ORIGENES

Alexandrinus, *Adamantinus* dictus, *Leonidæ* filius, tanti in Religione Chriſtiana fer-

* *Hier. de Script. illuſt. c.* 53. *Cave de Script. Eccleſ.*
† *Hieron. de Vir. illuſtr. cap.* 58.

fervoris, ut ſedecim annorum puer martyrium ſubire paratus eſſet, ni veſtes abſtuliſſet provida mater. Captivum patrem tamen ad mortem conſtanter pro fide ferendam pro viribus incitavit. Quare *Hieronymo*, minus aliàs ipſi amico, Vir magnus audit. * Hujus paupertatem amiſſo parente, omnibus bonis ab infantia fiſco addictis, pia matrona opibus affluens ſuſtentavit. Cui tamen nullam amplius creaverit moleſtiam, poſtquam Grammaticam docere potuerit. Poſteà Alexandriæ Chriſtianam Religionem docuit inſtituendo ignaros, ad bellum uſque, quod *Caracalla* Imp. in Alexandrinos parabat. Tum in Paleſtinam diſcedens, ab Epiſcopis ejus loci Sacerdotio inſignitus eſt. Quod tantâ invidiâ incendit *Demetrium*, Epiſcopum Alexandriæ, ut omnem lapidem in ejus periculum moveret, & miſſis literis de hæreſi accuſaret. Perſuaſit quibuſdam, uti vulgatum eſt, *Calumniare audacter ſemper aliquid hæret:* ſed Epiſcopi Paleſtinæ, qui optimè noverant, è contrà firmiter protegebant, apud quos cùm *de Fato* ſcripſiſſet, multa pro Religione Chriſtiana paſſus placidè obdormivit. †

* *Hieron. Epiſt. 65. ad Pammachium.*

† *Du Pin, de Script. Eccl. tom. 1. pag. 121. Cave, de iiſd. pag. 55.*

Seculo

SEculo IV. Imperatoria pietas commendanda eſt, dum

HELENAM FLAVIAM Auguſtam,

Conſtantini Chlori Imperatoris uxorem, [non concubinam, ut quidam perperam opinantur *] *de Providentia Dei* librum unum reliquiſſe legimus. Ejuſdem filio

FL. VALERIO CONSTANTINO,

cognomine *Magno*, Cæſari Auguſto liber *de Providentia Dei* tribuitur. † Sed vis dicam ſententiam, ſplendido ſcripta nomine potius utuntur, ad aucupandam qualemcunque autoritatem, quàm ut certò conſtet illius ipſius ea eſſe. Quid Imperator tot bellis implicitus, tot ſanguine conſperſus, & hoſtium & ſuorum cæde madens, qui reliquum quod erat temporis, ornatui Conſtantinopolis impendit; quid, inquam, *de Providentiæ arcanis* ſcripto reliquiſſet? Nova tum, credo, illum inceſſit Religio, cujus, etſi Chriſtianæ nomen dederat, tenaciſſimus non erat. Sic veluti aliorum ſummorum virorum nominibus quædam

C ſup-

* *Euſeb. n.* 2322. *Oroſ. lib.* 7. *Beda*, *lib.* 1. *cap.* 8. *Rerum Britan. Zoſimus lib.* 2.

† *Baleus Cent.* 1. *pap.* 11. *& Pitſeus de Script. Anglicis.*

ſuppoſita gloriantur opera, ita *Flaviæ lenæ* & *Conſtantini* Imperatoriâ Maje ſuperbiunt libri, quos tantùm titulo vimus.

Provincia hæc piis potius Eccleſiæ tribus, & acutis è Schola Philoſophis mandanda eſt, qui ejus curam haud n genter geſſerunt.

Nam eâdem ætate

EUSEBII

præclarum eluxit ingenium, *Pam* dicti ob arctiſſimam cum *Pamphilo* Ma re amicitiam. Is, cùm Epiſcopus C rienſis in Palæſtina eſſet, tùm aliis e giis ſcriptis poſteris profuit, tùm ma fico opere, quod *de Præparatione Eva lica* ſcripſit. In hoc dum ſibi ad *Des ſtrationem Evangelicam* viam parat, err Gentilium confutare, ex ipſis, qu hauriebant, fontibus, conſtituit; at ita *Fato* inevitabili totum librum v i. pendit, ut illud tùm validis argumer tùm autoritate clariſſimorum homi expugnaret ejiceretque.

Acriter itidem Fatum impugnavit

DIODORUS,

ſive *Theodorus*, Tarſi Epiſcopus, Sacerdos & Religioſus Antiochenus, diſcipulus *Silvani* Tarſenſis, Magiſter *Chryſoſthemi* & *Theodori Mopſueſtæ* *; *libris* VIII. *adverſus Aſtronomos, Aſtrologos, & Fatum* editis. Recenſet eos latiſſimè *Photius* †, & quidem ipſe *animam eripit Fato, corpus ei ſubjicit.* Deinde *Aſtrologos Fati aſſertores acriter inſectatur, & multis argumentis oppugnat*; præſertim eos *qui* JESUM *Salvatorem noſtrum ſub certo cœli ſigno natum crediderant.* Quos poſtea tamen *Albumaſar* Arabs, & ex Chriſtianis *Tiberius Ruſſilianus, Petrus d'Alliaco*, & *Cardanus*, geniturâ Chriſti conſtructâ, ſequi non erubuerunt. Eundem librum edidiſſe *de Providentia* adverſus *Platonem*, *Suidas* Autor eſt.

Proximus ei

GREGORIUS,

Epiſcopus *Nyſſenus*, qui delitiis mundi obſecutus, diu Rhetoricam docuit; poſtmodum

C 2

* *Du Pin, dans ſa Bibl. Eccleſ. tom. 2. pag.* 237. *Cave, de Script. Eccleſ. pag.* 152.

† *Phot. Cod.* 223. *Biblioth.*

modum religioſæ ſe addixit vitæ, & Epiſcopatum obtinuit, ſed turbulentum, & quo gaudere non poterat. Juſſu enim Imperatoris *Valentis* in exilium abiit, in quo ad annum CCCLXXVIII. vixit; donec mutato rerum ſtatu cum aliis Epiſcopis dignitatem priſtinam recuperaret. Tractatus ejus *adverſus Fatum* in operibus diverſis temporibus editis extat, & Mſtum. ex Bibliotheca Cæſarea commemorat *Lambecius*. * In hoc præcipuè Aſtrologos impugnat, qui aſtris eorumque influentiis, nos noſtraſque actiones duro nimis adſtringant vinculo. †

Fuerunt quidem & alii Fati Chaldaici hoſtes: omnes enim, qui *Aſtrologiam* & *præſciendi artes* impugnarunt, ſummo id egerunt ſtudio; quos cùm *libro ſingulari* recenſuerim, jam in ſcenam revocare non vacat.

Pergo igitur ad

JOANNEM, cognomine CHRYSOSTHEMUM,

Antiochenum, virum pium, & ſcriptis in Eccleſia clariſſimum, Diaconum & Presby-

* *Lambec. lib. 4. Comment. de Bibl. Vindob.*
† *Du Pin, dans ſa Bibl. Eccleſ. pag. 222.*

byterum in patria, Epiſcopum Conſtantinopolitanum *. Is inter alia quinque Homilias *de Providentia & de Fato* ſcripſit. Nam quanquam ſex numero ſint, tamen ſexta *de Ingluvie* potius inſcribenda. † Extant præterea tres ejus Epiſtolæ ad *Stagyrum de Providentia Divina.*

SEculo v.

SYNESIUS,

Ægyptius, genere Pentapolitanus, ex regione Cyrenes, Philoſophus Platonico-Chriſtianus, Epiſcopatum Ptolomaïdis obtinuit, licet ipſe *corporis reſurrectionem negaret, venandi ſtudio impensè delectaretur, nec uxorem*, quam tenerrimè amabat, *dimittere vellet.* ‡ *Theophilus* tamen Alexandrinus ad ſummi Sacerdotii dignitatem eum evexit, habito reſpectu, inquit *Photius* ⊥, ad aliam viri probitatem vitæque actæ integritatem. Scripſit Ægyptium, ſeu *de Providentia* libellum, qui in operibus à *Dionyſio Petavio* Lutetiæ 1612. *fol.* editis invenitur.

* *Du Pin, dans ſa Biblioth. tom.* 3.
† *Cave, de Scriptor. Eccleſ. pag.* 178.
‡ *Nicephor. Hiſt. Eccleſ. lib.* 14. *cap.* 52.
⊥ *Photius, Cod.* 26. *Biblioth.*

Neque minus celebris

D. AUGUSTINUS eſt,

Apud Hipponenſes ſacrorum Præſul, qu delicta proboſæ juventutis, ſanctâ & decorâ vitâ emendavit, & factis ſcriptiſque Eccleſiam, quam prius contempſerat, bonos docendo, malos arguendo, egregiè illuſtravit. Tractatus is *de Præſcientia Dei* compoſuit, *de libero Arbitrio*, *de Prædeſtinatione*, qui hodiernum in variis Operum ejus editionibus non ſine fructu leguntur.

De ejus doctrina cùm variæ obortæ lites eſſent, acerrimè eum defendit

TYRO PROSPER,

Laicus, ex Aquitania oriundus, vir in Theologia probè verſatus. * Qui quoque carmen *de Divina Providentia* edidit, licet viri docti alteri cuidam non caſſâ ratione adſcribere malint, † à Pelagiano fortaſſe quodam conſcriptum. ‡

* *Du Pin, Bibl. Eccleſ. tom.* 4. *pag.* 181.
† *Barth. Adverſ. lib.* 18. *cap.* 10. *pag.* 909.
‡ *Cave, de Script. Eccleſ. pag.* 247.

Præ-

Præterea

SALVIANUS,

ſi non Epiſcopus Chriſtianus, [de quo alii dubitant] certè Presbyter Maſſilienſis, ſcripſit libros VIII. *de Gubernatione & Providentia Dei*, quos *aureos* vocat *Naudæus**. Contenta eorum enarrat *Elias Du Pin* †. Prodierunt verò Pariſ. 1570. curâ *Joannis Alexandri-Braſſicani*, & excuſi ſunt in ſplendida illa *Bibliotheca Patrum*.

THEODORETUS

denique, Antiochenus, *Theodori Mopſueſtæ* diſcipulus, nobis commodè occurrit. Epiſcopus ille Cyrenes, *Iſidori* recentis defuncti loco conſtitutus, dùm illum obortis cum *Cyrillo* aliiſque de Orthodoxia controverſiis, ditione ſuâ excedere prohibet Cæſar, ipſe verò nihilominus audacter Synodum adit Epheſinam; Epiſcopatum perdit, & privatim vivere jubetur. Poſtmodum ſub *Marciano* dignitatem priſtinam recepit, & placidè in ea ſeptuagenario major obdormivit, cùm ſcripſiſſet Sermones X. *de Providentia Divina*, quam

* *Naud. in Biblioth. Polit. pag.* 36.

† *Bibl. Eccleſ. tom.* I V. *pag.* 215. *Cave, de Script. Eccleſ. pag.* 245.

quinque prioribus probat, *ex diſpoſitione admirabili corporum cœleſtium, mirabili ordine elementorum, ordinatione partium corporis humani, inventione artium, regimine hominum.* Tribus ſequentibus, objectionibus ſatisfacit adverſariorum, & decimo divinum amorem in Incarnatione Filii extollit. Edidit *Majoranus* 1545. tranſtulit etiam *Gualterus.* *

Scriptores Sæculi xii. xiii. & xiv.

SEculo xii. claruit

PETRUS BLESENSIS,

vel *de Bleſis*, natione Gallus, ſive, ut alii putant, origine Anglus, apud quos magnâ floruit nominis famâ, & ab *Henrico* II. Rege Archidiaconatum Bathonenſem, Londinenſem & Cantuarienſem diverſis temporibus obtinuit. Suavitate orationis inſignis compoſuit *de Præſtigiis Fortunæ* libros II. † editos cum aliis ejus operibus Moguntiæ 1600. curâ *Joannis Buſæi*, S. J. qui Vitam Autoris iis præmiſit.

* *Du Pin, Biblioth. Eccleſ. tom.* IV. *pag.* 108.
Cave, de Script. Eccl. pag. 225.
† *Balæus Cent.* XIII. *pag.* 130.

Hic

Hic Comitem meritò adſciſcit

THOMAM AQUINATEM

Clericus Clericum, virum nobiliſſimum, ex Comitum d'*Aquino* proſapia oriundum, *Angelorum Doctorem*, & *Doctorum Angelum*, uti vocabant Scholaſtici. Egregius hic Neapolitanus cùm *Alberti*, cognomine *Magni*, nobiliſſimam eſſe famam audiret, cupidè in Germaniam abiit, ſeque inſtituendum illi dedit. A quo cùm omni doctrinæ laude ornatus receſſiſſet, Fratribus Ordinis Prædicatorum acceſſit, tantâ vitæ integritate & humilitate cordis, ut Archiepiſcopatum Neapolitanum à *Clemente* IV. Pont. Max. ei oblatum, modeſtè recuſaret, & literis, quas perditùs amabat, immori mallet. In his cùm indefeſſa hujus viri eſſet diligentia, plurima ſcripſit ſeculo profutura, interque alia opuſculum *de Fato*, quod legitimis [nam ſunt & ſpuria ei ſuppoſita] accenſetur operibus. *

Cùm denique confeciſſet extremum vitæ diem, relatus eſt inter Sanctos, ejuſque ſcripta peculiare Doctorum genus produxerunt, qui *Thomiſtæ* dicti ſunt, celebri in Schola nomine.

* *Toppi Biblioth. Neapol. Jov. in Elog. Bellarmin. Du Pin, Cave, de Script. Eccleſ.*

Egregium Magiſtrum non minor ſequitur diſcipulus,

ÆGIDIUS COLUMNIUS,

ſeu ob Patriam *de Roma* dictus, ex nobiliſſima *Columnenſium* familia. Literis, quas ſub *Aquinate* perceperat, clariſſimus ob mirum in eruenda veritate ingenium *fundatiſſimi* nomen eſt aſſecutus, *Prora* etiam & *Puppis Theologorum* dictus. *Philippi Pulchri*, Gallorum Regis, ſtudia moreſque prius temperavit; poſteà ei chariſſimus, Archiepiſcopale diadema apud Bituricenſes obtinuit, ut unà Primas Aquitaniæ, & Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Prior generalis eſſet. Purpuratis Patribus annumerandus, interceſſit Avenione 1316. mors implacabilis, & vitâ & tanto honore privavit, cùm commentatus eſſet *de bona Fortuna*, cujus MS. erat in Bibliotheca Scorialenſi, * & eſt Cantabrigiæ unum & alterum exemplar. † Inter Sanctos & hic poſteà locum invenit. Ei Lutetiæ præclarum poſitum eſt Epitaphium. ‡

* *Catal. MSS. Manuſcript.*
† *Catal. MSS. Angl. & Hibern. n.* 1702. *&* 1716.
‡ *Mandoſ. Bibl. Rom. Cent.* III. *Poſſev. in App. Sacr.*

Apud

Apud Græcos hoc ſæculo floruit

[redacted]ORUS GREGORAS,

lia *de his, qui calumniantur* , *& de Aſtronomia ad eos, qui* , ſcripſit; quæ in Bibliothe- taliæ in MS. Codice extare, *Gaddius.* *

glos circa annum 1328.

AUS TRIVETHUS,

ıtibus in Comitatu Norfol- , Ordinis S. *Dominici* ſectator. ınctimoniâ conſpicuus, eruditate clarus, Poëta, Rhetor, , Mathematicus, Philoſophus, ;us inſignis. Obiit cùm ſcripto, quod opus cum aliis opuſcugicis in MS. Codice Bibliothecæ [redacted]enſis publicæ extabat tempore *Pitſei.* †

* *Gadd. de Script. non Eccleſ. Part.* 2. *pag.* 104.
† *Pitſ. Relation. Hiſtor. de Reb. Anglic. t.* 1. *n.* 490.

Nec

Nec minimum quoque auxilii repoſitum eſt in libris *de Providentia*

THOMÆ BRADWARDINI;

quoniam in illis pari fermè cum D. *Thomam* ſubtilitate & rationum pondere procedit, inquit *Naudæus.** Erat ille natione Anglus, & *Doctor profundus* dicebatur, qui cùm Oxoniæ in Collegio Mertonenſi educatus eſſet, Procuratoris functus eſt munere, & Doctor Theologiæ inſignitus. Poſteà *Eduardi* III. Regis Confeſſionarius conſtitutus, ejus liberalitate ad Canonicatum Lincolnienſem, & Cancellariatum Eccleſiæ Londinenſis Paulinæ, imò ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem adſcendit: ſed poſtremum honorem quadrageſimo die implacabile rapuit fatum. †

ENGELBERTUM,

Germanum, Abbatem Cœnobii Admontenſis, circa annum 1340. *de Divina Providentia* ſcripſiſſe, apud *Poſſevinum* invenio. ‡

* *Naud. Biblioth. Politic.*

† *Wharton ad Cave, de Script. Eccleſ. pag.* 28. *Pope-Blount in Cenſ. celebr. Autor. Pitſeus Relat. de Rebus Angl.*

‡ *Poſſevin. in Appar. Sacro.*

FRAN-

FRANCISCI PETRARCHÆ

nomen quod proximum eſt meâ commendatione non indiget. Natus ille erat anno 1304. Arezzi Patre Florentino, ſed exule. Solidis ille jactis literarum fundamentis, Avenione ſedem poſuit, & quas perceperat ſcientias, alios docuit, donec Patavii Canonicatum adeptus anno 1344. mortalitati valere diceret & plaudere. An noſter ſtuprum ſororis à *Benedicto* XII. Pontifice oblatum ſi probare voluiſſet, purpuram ſperare potuiſſet, affirmat *Hieronymus Squarzaficus* in vita ejus, alii ei & purpuram & ſororem denegant. * Scripſit *de Remediis utriuſque Fortunæ*, cujus MS. erat in Scorialenſi Bibliotheca. Prodiit Lugduni 1577. & 1595. *in* 16. apud *Jean le Preux*, & in operibus 1554. & 1587. Roterodami etiam 1649. *in* 12. Ejuſdem liber *de Caſibus Virorum illuſtrium* in Mſto. Cod. 840. Bibliothecæ Colbertinæ † extabat.

* *Pope-Blount in Cenſ. Whart. ad Cav. de Script. Eccleſ. pag.* 29. *Du Pin in Bibl. Eccl. tom.* X.

† *Oudin. ad Bellarm. de Script. Eccleſ.*

Seculo

SÆCULI XV. SCRIPTORES.

SEculo xv. circa annum 1440. claruit

JOANNES LYDGATUS,

Suffolcienſis, Anglus, Ordinis S. *Benedicti* in Monaſterio S. *Edmundi* in dicto Comitatu, qui in itinere per Galliam & Italiam utramque regionem nominis ſui famâ implevit, & *de Fortuna* ſcripſit. * Is Buriæ inter Monachos tale habuit Epitaphium: †

Mortuus ſæclo, ſuperis ſuperſtes,
Hîc jacet LYDGAT *tumulatus urnâ,*
Qui fuit quondam celebris Britanna
Famâ poëſis.

Rarum quoque hujus ſæculi decus fuit

ÆNEAS SYLVIUS,

Toſcanus, Senenſis, ex familia *Piccolominea*, cujus vitam *Virgilius* cecinit, ut vates,

Sum Pius Æneas, *famâ ſuper æthera notus.*

Nam cùm literas ſummo ſtudio & pari integritate vitæ coleret, primùm ex ſumma doctrina,

* *Ghilini in Theatr. Viror. illuſtr.*
† *Baleus de Script. Angl. Cent.* VIII. *pag.* 587. *Pitſeus de Script. Angl. pag.* 634.

doctrina, posteà ex summis dignitatibus cœpit esse celeberrimus. Intererat Concilio Basilienſi, & doctè Papam Concilio esse inferiorem probabat; postmodum, Episcopus Tergestæ, Archiepiscopus in patria, Cardinalis titulo Sanctæ *Sabinæ*, & demum Pontifex nomine *Pii* II. factus, *Pius* damnavit, quod probasset *Æneas*. Scriba aliquando summus Imperatoris *Friderici* III. fuit, ad quod officium nemo admittitur, nisi honesto loco natus, & fide & industriâ cognitâ. * Ac tum multis legationibus functus est, tum præclarissima composuit pro seculi genio Opera, in quibus liber est *de Præscientia Dei & de Fato*. † Nec non *de Remedio Fortuitorum*, cujus MS. erat olim, priusquam alienos lares sequeretur, in instructissima Bibliotheca *Marquardi Gudii*.

Eodem tempore magna erat

GEORG. GEMISTI PLETHONIS

fama & celeberrimum nomen, quamvis in Peloponneso maximam vitæ partem transegerit. Insignis hic Philosophus, & Mathematicus, nec minor Theologus, à Græcis ad Concilium Occidentale

* *Cornel. Nepos in* Eumene.

† *Bergomensis in Chron. & Virorum Pontif. Scriptor.*

tale miſſus eſt, ut cum Pontificiis de Religione conferret. Tantam ille doctrinam pietatemque in arduo hoc negotio præ ſe tulit, ut ſuis abundè ſatisfaceret, & adverſarios in admirationem ſui tum ſuavitate morum, tum ſcriptorum elegantiâ raperet. In his volumen *de Fato* eſt, cujus MS. erat apud *Leonem Allatium*, qui ejus editionem moliebatur. * Aliud MS. ex Bibliotheca Vindobonenſi profert *Lambecius*. † Fuit aliud in Bibliotheca Scorialenſi: ‡ aliud in Bibliotheca Auguſtana ⊥. Naturæ debitum demum centenarius vitæ ſatur perſolvit. β

Ab hoc proximum meretur locum

COLLUT. PIERIUS SALUTATUS,

è Stignano vico Florentini agri, è familia *Salutatorum* oriundus, qui *Urbano* V. & *Gregorio* XI. ſummis Epiſcopis fuit primò à ſecretis, poſteà Reipublicæ Florentinæ Scriba ſacer, quem Cancellarium vocant. Is cùm Poëta laureatus & eloquentiſſimus Orator eſſet, *de Fato* & *Fortuna* eleganter ſcripſit, uti MSS. paſſim teſtantur. Horum

c alterum

* *Naud. de Fat. pag.* 160.
† *Comment. lib.* 7. *pag.* 82.
‡ *Catal. Manuſcriptor. Manuſcript.*
⊥ *Whart. ad Cav. Script. Eccleſ. pag.* 79.
β *Allat. de Georg. pag.* 385.

alterum in membrana erat in Bibliotheca Canonicorum S. *Joannis* Patavii; * alterum Florentiæ; † aliud in Collegio S. *Benedicti*, Cantabrigiæ ‡. Opera prodierunt, Venet. 1542. & alibi. Sed cùm in hoc libro, quædam [licentiâ forsan, ut ajunt, poëticâ] non satis consona veritati edidisset, contra eum insurrexit.

JOANNES DOMINICUS,

Purpuratus Ecclesiæ Pater, & opusculum edidit inscriptum: *Locutus nobis.* ⊥

NICOLAUS DE CUSA,

à vico natali ad Mosellæ ripas in Trevirensi Diœcesi dictus, pauperculi Piscatoris filius, S. Theologiæ & Decretorum Doctor, post varias dignitates & officia in Purpurato Collegio nomine S. *Petri ad vincula* locum meruit, & Episcopus Brixiensis constitutus est. Sed *Sigismundus*, Dux Austriæ, indignè, ut volunt, ferens, Cardinales jure commendatitio Episcopatus obtinere, sive aliis de causis; tantâ per-

D seve-

* *Thomas. in Biblioth. MSS.*
† *Pocciant. de Script. Florent. pag.* 421.
‡ *Num.* 1469. *Catalog. MSS. Angl. & Hibern.*
⊥ *Possevin. Appar. Sacr. Wharton ad Cave de Script. Eccles. pag.* 41.

ſeverantiâ ſede depulſum proſecutus eſt, ut nec Apoſtolici Decreti fulmen iterum iterumque Principi immiſſum, in illa reſtituere potuerit; ſed *Cuſanus* demùm captus, renuntiatione dignitatis, libertatem redimere coactus eſt. * Tum *de Fortuna*, quam expertus erat, commentatus eſt; † & anno ſuo climacterico, mortalitatis leges implevit.

Quibus anno 1474. ſatisfecit

JOANNES STANBERY,

Carmelita, Magiſter Oxonienſis, S. Theologiæ Doctor, Confeſſionarius Regius, & Epiſcopus Bangorenſis; poſteà Eccleſiæ Heresfordenſis Præſul, Vir præclaris animi dotibus imbutus, virtute & eruditione ſpectabilis, omnium Carmelitarum in Anglia ſuo tempore, ut habet *Lelandus*, facilè Princeps. ‡ Is Commentarios *de Fato & Fortuitu* edidit.

* *Wharton ad Cave pag.* 88.
† *Bergomenſ. Chron. lib.* 15. *pag.* 398.
‡ *Pitſæus in Memor. Angl. Baleus Cent.* 8. *pag.* 612. *Trithemius de Script. Eccleſ. Geſner. in Bibl.*

Quem

Quem proximè ſequitur

JOAN. WESSELUS HERMANNI,

Groninganenſis, qui & *Baſilius*, cognomento *Gansfortius*, *Lux Mundi* dictus eſt. Hujus opus *de Providentia Divina* anno 1476. prodiit. *

HAc tempeſtate *Coſmus* I. magnus Hetruriæ Dux, literas paterno fovebat animo, earumque decus præcipuè curæ cordique habebat. Doctiſſimum igitur quemque, dignis præmiis illectum, ſecum habere cupiens, in eorum commodum Laurentianam Bibliothecam ſplendidiſſimè inſtruxit, copioſiſſimè auxit, ejuſque curam

BACCIO BALDINO,

viro doctiſſimo, Archiatro ſuo, benignè obtulit, cujus Diſcurſum *de Eſſentia Fati* olim extitiſſe, ex Notitiis literariis & Hiſtoria Illuſtrium Virorum Academiæ Florentinæ diſcimus. †

* *Wharton ad Cave de Script. Eccleſ. pag.* 104.
† *Act. Lipſienſ. Erud. anno* 1701. *Nov.*

Hoc loco celebranda

THEODORI GAZÆ

ſplendidiſſima in literarum cultu merita. Hujus qui ignorat nomen, jam dignus eſt, qui neſciat: cùm omnium calculo ex doctiſſimis unus ſit, quos Turcarum barbaries, Bono publico, ad literarum incrementa, relictâ patriâ, ad exteros fugere coëgit. Italia hos excepit benigna noverca, & advenas ad ſuum decus, ut indigenas, adhibuit, qui digniſſimis ſcriptis & proprium nomen, & terræ hoſpitæ benignitatem ad poſteros tranſmiſerunt. In quibus *Gaza* multa fœcundi ingenii monumenta reliquit, & cùm Fata expendiſſet ſua, *de Fato* ſcripſit, quem Tractatum MS. præclara ſervabat *Iſ. Voſſii* Bibliotheca. * Eo cum pauciſſimis frui liceat. Intereà evolvi poterit

PHILIPPI BEROALDI,

Bononienſis, inſignis Philologi, Oratio *de Fœlicitate*, quæ Bononiæ anno 1495. & 1502. *in* 4. eſt excuſa. Ejuſdem MS. *de Fortuna* illuſtris ſervat Bibliotheca Guelferbytana.

* *Catal. MSS. Angliæ, tom.* 2. *n.* 2266.

Apud

APud Germanos ſub initium ſæculi XVI. anno ipſius decimo ſexto mortalitatis leges implevit

VIRI SÆCULO XVI. CELEBRES.

JOANNES TRITHEMIUS,

aliàs *Heidenberg* dictus, literarum reſtaurator fœliciſſimus, orbiſque eruditi magnum decus. Ingenio enim pereximio & arcanas obſcuraſque evolvit ſcientias, & res geſtas egregiè tradidit, & in Theologiæ myſteriis explicandis ita verſatus eſt, ut anteponatur ei nemo, pauci etiam pares putentur. Non igitur celeberrimi Abbatis hujus fama in Cœnobio Spanheimenſi, aut S. *Jacobi* Peapolitano includi potuit, ſed plurimis clariſſimis operibus nomen ſibi vix interiturum comparavit, in quibus, Tractatus *de Providentia Dei*, Altorfii 1611. *in* 8. excuſus eſt. * Licet *Heidel* (quod ſanè miror) ejus non meminerit, qui diligenter aliàs multa de noſtro Autore notavit. †

* *Wharton ad Cave de Scriptor. Eccleſ. pag.* 115.
† *Heidel, in Steganogr. Trithem. reſerata.*

Ei dignus accedit comes,

JOAN. JOVIANUS PONTANUS,

nobilis Umber, qui cùm Patrem ſeditione quâdam infœlix amiſiſſet, Neapolim inops petens, ea de ſe virtutis doctrinæque dedit ſpecimina, ut Rex *Ferdinandus* educationem filii illi committere non dubitaret. Idem poſt obitum *Panormitani*, Scriniis Regiis præfuit, donec ob favorem Gallorum, qui ſub *Carolo* VIII. bellum in Italia gerebant, accuſatus à malevolis, regiâ excideret gratiâ. Is dignitates ei aulicas auferre potuit, non viri doctiſſimi famam, quam egregiis ſibi commentationibus acquiſiverat, in quibus & illa *de Fortuna & ſuo Eutichо* eſt. Ac ſanè extant ejus libri III. *de Fortuna* in operibus apud *Aldum*, Venetiis 1548. *in* 4. tribus voluminibus excuſis. Ipſe ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno, ſæculi tertio, paſſus eſt quod natura voluit, & ſi non ſplendidè, placidè obdormivit. *

Hunc certatim deprædicant eruditi, nec minus

JOAN. PIERIUM VALERIANUM,

Bellunenſem, virum optimum, liberorum fratris *Clementis* VII. Pontificis Maximi, Præ-

* *Jovius in Elog. Teiſſier ad Elog. Thuan.*

Præceptorem. * Elegantis ille ingenii ſpecimen in libello *de Infœlicitate Literatorum* dedit, qui Amſtelodami 1647. *in* 12. & cum ipſius *Hieroglyphicis* ſæpius prodiit. Hujus argumenti ubertas & copia *Cornelium Tollium* induxit, ut obſervationibus ſuis altero tantum augeret. Uterque tamen non ſpicilegium, ſed meſſem exemplorum reliquit; quis enim eorum eſt numerus, cum quibus *Fortuna jocatur*, *inſolentem ludum ludere pertinax?* Horum non pauca in Mſto. notata moriens reliquit *Andreas Gryphius*, & de ſupplemento olim cogitabat *Albertus zum Felde*, S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Kilonienſis.

Sed adhuc ſua meſſis in herba eſt.

Utinam graviſſima, quibus urgetur, negotia, amœnis plus temporis concederent Muſis, haud infœliciter, & hæc & alia multa exſpectare ab eo poſſemus.

Ipſe ad Hiſpanos divertor, apud quos

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA,

Cordubæ anno 1491. natus eſt; poſteà verò Romæ in *Alberti Pii*, Carpenſis Principis, familia aliquandiu ſubſtitit. Is cùm

* *Ghilin. in Theatr.*

ea attigiſſet tempora, quibus *M. Lutherus* doctrinam Eccleſiæ Romanæ ad incudem revocabat, ipſe cum aliis multis auram aulæ Pontificiæ captans, ſe ei oppoſuit, & *libros* III. *de Fato & Libero Arbitrio* Romæ 1526. *in* 4. edidit, ut ejus ſententiam in hoc argumento impugnaret. Quod cùm ſtudium placuiſſet ſuis, ita ipſum *Carolo* V. Imperatori commendarunt, ut Hiſtoriam Vitæ ſuæ Cæſar illi ſcribendam committeret, apud quem vixit, & octogenario major tandem in Hiſpania obiit. * Vita, ex ſcriptis propriis collecta, Operibus Coloniæ 1602. *in* 4. excuſis præmittitur, ne plura repetam. Viam enim ad acerbum itidem *Lutheri* inimicum paro,

CONRAD. COCUM WIMPINAM,

celebrem Theologum Lipſienſem, & Academiæ Viadrinæ primum Rectorem, † qui *libros* III. *de Fato*, *de Providentia Divina* alios tres, & *de bona Fortuna* libros II. Francofurti 1528. *folio* edidit; ſed iis vix per annum, vel ut alii, biennium ſuperfuit:

Omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via Lethi. ‡

Eâdem

* *Schottus in Biblioth. Hiſpan.*
† *Becman. Hiſtor. Acad. Francof. ad Viadr.*
‡ *Horat.*

Eâdem tempeſtate celebre erat in Gallia

GUILIELMI BUDÆI

nomen, cùm ipſe cognitione variâ rerum & linguarum inter ſuos unus omnium maximè floreret. Huic nihil dulcius erat literarum ſtudiis, quibus adeò delectabatur, ut cùm in Aula ſplendido fungeretur officio, & apud Regem Galliæ Libellorum Supplicum Magiſter eſſet, nunquam tamen deſiſteret, Muſis horam ſuffurari, & in ipſa nuptiarum ſolennitate. Scripſit ad *Draconem Budæum* fratrem *de Fortuitarum Rerum Contemptu* libros III. Lutet. 1521. *in* 8. Lugd. Batav. 1624. *in* 8. excuſos. Opera prodierunt Baſileæ, 1557. 3. vol. *fol.* vita in Collectione Bateſii apud Anglos recuſa eſt.

De Fato & Providentia Divina egiſſet, etiam peculiari ſcripto

JOAN. FRANCISCUS PICUS,

Mirandulæ Dominus, ſi fato viſum fuiſſet: ſed dum *Galeottus*, fratris filius, egregii viri gulam, ad pedes crucifixi, gladio hauſit, ſanguine innocentiſſimo Scriptum hoc, ut alia etiam, perfudit, quæ in lucem poſteà nunquam prodierunt. Promiſit hunc, de quo loquor, Tractatum, in præclaro Opere *de Prænotione*, lib. v. cap. VI.

Poſt eum

HERMANNUS SCHOTENIUS,

inter alia, quæ ipſi tribuuntur, *Colloquia de Modo petendæ utriuſque Fortunæ*, Coloniæ 1535. *in* 8. vulgavit.

Et

REINERUS SNOIUS,

natione Batavus, Medicinæ Doctor Bononienſis, antequam 1537. naturæ debitum perſolveret, *de Fato & de Eſſentia, Potentiis, & Paſſionibus Animæ* ſcripſit. *

PETRUM POMPONATIUM,

Philoſophum doctiſſimum, † magni nominis Peripateticum, ‡ quod attinet, eum quoque *de Fato* ſcripſiſſe novimus. Mantuanus is Philoſophiam Patavii magno ſucceſſu docebat, cùm adverſarii, *Ariſtotelis* ſententiis nimis anxiè inhærentem corriperent, rogoque impoſuiſſent, niſi *Petrus Bembus* Cardinalis, tutelaris fuiſſet genius, qui effecit, ut Bononiæ anno climacte-

* *Swert. in Athen. Bat. Callid. Loos de Script. German.*
† *Voſſ. de Art. Hiſt. pag.* 24.
‡ *Petit. de Sibyll.*

macterico ſuo ex retentione urinæ fatum ſuum potuerit abſolvere. Ejus liber *de Incantatione*, cum altero *de Fato*, curâ *Guilielmi Grataroli* Baſileæ 1567. *in* 8. prodiit, cujus MS. erat in Bibliotheca Scorialenſi. * In his multa, jure injuriâque paſſim taxant docti, plerique tamen Viri acutiſſimi famam *Pomponatio* denegare non audent. In libro, fateor, *de Immortalitate Animæ*, qui oppidò rarus eſſe cœpit, uti & in aliis Operibus nimis ſibi, & Philoſopho ſuo indulget, tum ſalebroſa eſt oratio. Quid in reliquis, quæ compoſuit ſcriptis, egerit, vix conſtat, cùm editæ nec dimidiâ parte ſint. *Jacobus Gaffarellus*, anno 1633. cùm Venetiis eſſet, ad Dn. *Bourdelot* miſit univerſam *Petri Pomponatii* Philoſophiam Manuſcriptam, prægrandiores ſex diſtinctam in Tomos. In quibus, ſine dubio, multa fuere anecdota, unde nihil in publicum redundavit lucri. † Epitaphium ejus, licet fictum mordaxque, tale ferunt.

HIC SEPULTUS JACEO: QUARE? NESCIO: NEC SI SCIS, AUT NESCIS, CURO. SI VALES BENE EST; VIVENS VALUI. FORTASSE NUNC VALEO, SI AUT NON, DICERE NEQUEO. ‡

Ad-

* *Catalog. Mſſt. Mſt.*

† *De ejus Vita legi poteſt Diſſertatio* Jo. Gottlieb Olearii, *quam Jenæ* 1709. *habuit.*

‡ *König in Biblioth.*

Adverſus eum tela torſerunt tum alii, tum

AMBROSIUS,

Neapolitanus Auguſtinianus, Epiſcopus Samoſenſis, & Mantuanæ Eccleſiæ Suffraganeus ad *Clementem* VIII. Pont. Max. *

Veſtigia ejus verò premit diſcipulus

SIMON PORTIUS,

Neapolitanus, acutus Philoſophus, † editis libellis *de Mente humana*, in quo profanum arguunt, & *de Fato*, qui Florentiæ 1561. prodiit, ſi *Toppi* ‡ credimus; ſi *Naudæo*, ⊥ Mſtus. in quorundam privatorum Bibliothecis latet, nec unquam excuſus eſt.

Claruit circa annum 1538.

In Germania tunc temporis,

THEOPHRASTUS PARACELSUS,

Helvetus, apparuit inter Literatos tanquam ſtella crinita, & ingenio novaturiente, ſed ſanè mirabili, in Philoſophia & Medi-

* *Poſſevin. in App. Sacr.*
† *Thuan. l.* 13. *Miræus de Script. Sec.* XVI. *c.* 87. *p.* 80.
‡ *Toppi in Biblioth. Neapol.*
⊥ *Naud.* §. 1. *de Fato.*

Medicina tantas turbas dedit, ut propriam Sectam ringentibus fruſtra *Galenicis* inſtituerit, quæ præſertim arcana Naturæ ſectatur. Hic cùm vix verbum, pace Grammaticorum, uti arguunt, proferret, & tam obſcura proponeret dogmata, ut *Paracelſus*, ſi reviviſceret, *Paracelſum* vix intelligere, credatur; legi tamen meretur, quomodo ſententiam ſuam *de utraque Fortuna* libro 1. Philoſophiæ tulerit, quam XXIII. libris abſolvere conſtituerat. Obiit Salisburgi 1547. egenis hæredibus ſcriptis.

Victima nil miſerantis Orci.

Hac tempeſtate celebres apud Italos fuerunt

JOANNES BASADONNA,

GIROLAMUS GUARIMBERTUS,

ULPIANUS VERONENSIS,

NICOLAUS FRANCUS,

qui in noſtro argumento ſtudium exercuere ſuum.

Baſadonnæ Veneti librum *de admirabili Dei Providentia*, & *Mortalium Cura* circa annum 1545. citat *Poſſevinus*. * *Guarimbertus*

* *Poſſevin. in Appar. Sacr.*

bertas de Fortuna libros ſex linguâ Italicâ Venetiis 1550. *in* 8. edidit; ubi etiam biennio poſt *Ulpiani Veronenſis* Tractatus *de Fato* in 8. excuſus eſt.

Quod *Nicolaum Francum* Beneventanum attinet, homo fuit non parvi, ſed mordaciſſimi ingenii; quo incitatus cùm nigro ſale aſpergeret obvios, & ſolitâ Satyris dicacitate arroſor Principum, &, quod ſequitur, irriſor eſſet, horum juſſu anno 1554. Romæ in *Via Paſquini* miſero laqueo gulam fregerunt, quibus hoc negotii datum erat.

Fati ignarus ſcripſit Dialogum patriâ linguâ *de Fortunâ*. *

Apud Belgas

LEVINUS LEMNIUS,

Medicinæ Doctor, ob morum ſuavitatem ſuis chariſſimus, anno 1553. Tractatum *de Vitæ Termino* conſcripſit, Lugduni Bat. 1639. *in* 12. curâ *Boxhornii* recuſum. In hoc *certa fixaque & determinata eſſe cuique ſubſiſtendi ſpatia ab Opifice hominis Deo data* ſtatuit, *quæ tranſire nullus mortalium poſſit; non attingere verò, & citra conſiſtere qui-*

* *Ghilin. in Theatr. Cl. Vir. pag.* 173. *Laur. Craſſ. in Elog.*

quivis, ſi voluerit, queat. * *Aliàs Fato nos non ſubjici, nec neceſſitate aliquâ urgeri, niſi ad voluntatem Dei referas.* † *Ita Medicum in ægrotis fines poſitos transgredi non poſſe, juvare tamen, ne in curſu deficiant: ut ſcilicet obduretur iis os, qui neceſſitate inevitabili ſtabilitâ, Medici operam negligendam eſſe duxerant.*

UT ad Italos revertar, apud eos

JULIUS SIRENIUS,

Brixianus, Hieronymianus, inſignis Philoſophus, argumentum *de Fato* libris IX. illuſtravit, in quibus *de Contingentia, Neceſſitate, Providentia & Præſcientia Divina, Prophetia & Divinatione ex Philoſophorum & Theologorum ſententia* tractat. ‡ Prodierunt cum perioche *Hieronymi Magii* Venetiis 1563. *fol.* & *in* 4.

* *Lev. Lemn. de Vitæ Termine, pag.* 17.
† *Pag.* 67. *ej. tract.*
‡ *Poſſevin. in Appar. Sacro.*

Eadem

Eadem Italia

HIERONYMUM CARDANUM,

Mediolanenſem, præclariſſimum Medicum, dedit; cui profundum profuſumque ingenium, nec adverſarii denegant. Vir planè ſingularis, cùm varia vitæ ſuæ perpenderet fata, prætereà ſummo ingenio Hiſtoriam omnis ævi in numerato haberet, & huic ſcopo congrua multa operibus paſſim inſperſiſſet, libros IV. *de Fato* ſcripſit nunquam editos; ſed qui, ut ederentur meruiſſent, nec tantum Manu ſcripti in privatorum quorundam Bibliothecis laterent.* Quantum ex tabula libri, quam edidit, conſtat, libro I. *cognitionem & demonſtrationem Fati, communemque conſenſum de hoc & tribus Parcis* attuliſſet.

Libro ſecundo *quindecim rationes adverſus* Fatum, *& iiſque ſatisfaciendo, nec has tollere Fatum* propoſuiſſet.

Cui cùm innitatur *Divinatio*, libro III. *hanc* expendiſſet, *& ſeptuplex mundi vinculum cum Deo, mortalium cum cœlo, cum cauſis naturalibus, vinculum unitatis, interitûs & ſucceſſionis in mortalibus, vinculum* Fati, *mundique cum homine* expoſuiſſet.

Liber quartus *proprias conſiderationes, quæ ex Fato pendent*, exhibuiſſet. In his ſanè

* *Naud.* §. 1. *de Fato.*

ſanè attuliſſet non pauca lectu digna, & quæ ad inquirendum jucundiſſimè illiciant.

Sed, uti jam monui, pauciſſimorum in manibus eſt, *& habent ſua Fata Libelli.*

Veluti & *Cardanus Fato* occubuiſſe videtur, dum tempus ultimum anno 1576. ſibi eſſe deſtinatum prædixit eâ certitudine, ut cùm inimici factum negare non poſſent, inediâ ſibi mortem conſciviſſe dicerent. *

JOAN. ANTON. DELPHINUS,

è Caſali Majore Ordinis Minorum Theologus, Vir acri judicio præditus, (ut eſſe convenit eis qui magna tractant) libros III. *de Divina Providentia*, Romæ 1588. edidit. †

Eodem ſcilicet anno quo obiit

SPERO SPERONUS,

civis Patavinus, Vir literis percelebris, & mellifluo dicendi genere excellens, qui & Patavii, & Romæ ſub *Leone* X. lauta meruit ſtipendia, & à *Pio* IV. Pontifice Maximo, Equeſtri Ordine decoratus eſt.

* *Thuan. Naudæana.*

† *Poſſevin. in Appar. Sacro.*

Cùm ita laude & honore abundaret, ſeceſſit in patriam, & privatus quietâ mente æternam anno 1588. ætatis 84. adiit quietem, publicè laudatus ab *Antonio Riccobono*, Eloquentiæ apud Patavinos Profeſſore. Multa ejus ſcripta ſunt anecdota; Tractatus Italicus verò *de Fortuna*, * cum aliis ejus *Dialogis* prodiit Venetiis, 1596. *in* 4.

ALBERTI HERONIS,

Snecani, Friſii libri v. *de Providentia Divina*, Coloniæ excuſi ſunt, 1582. *in* 8. quos vix per ſeptennium evolvit Autor, qui anno 1589. naturæ leges implevit.

LACTANTIUS DOMANINUS,

Mantuanus, Carmelita, itidem eximiæ doctrinæ Vir, & Ordinis ſui Vicarius Generalis, magnum opus duobus voluminibus *de Providentia Dei* ſcripſit, quorum primum *de Contingentia, Neceſſitate, Caſu & Fortuna, de Scientia Dei, de Sapientia humana, de Libero hominis Arbitrio atque divina Gratia* agit.

Volumen ſecundum *de Creatione rerumque Diſpoſitione, de Ideis, Divina Providentia*

* *Thomaſin. in Elog. Ghilin. in Theatr. Viror. illuſtr. Thuan. lib.* 89. *Scardeonius in Hiſt. Patav. lib.* 11. *claſſ.* 11. *pag.* 258.

dentia & Fato, de Prædeſtinatione, de Reprobatione eſt. *

His temporibus vixit

TORQUATUS TASSUS,

inſignis Poëta. Surrentum is, regni Neapolitani oppidum, patriam habuit; ſed Roma & Patavium mox exulem ſuſceperunt, & egenum literarum cultu ita decorarunt, ut Poëta primi nominis cenſeretur. Sed cæſo per iram inimico, fortuna cum eo jocari voluit, & libertatem, & ſanam mentem auferre, donec occaſionem aufugiendi nactus, utramque non ſolùm, ſed etiam patrimonium, quod perierat, recuperaret. In tanta varietate fortunæ linguâ patriâ, præter alia, quæ commendantur Opera, *de Fortuna* ſcripſit. † Anno 1595. ætatis quinquageſimo ſecundo ad plures abiit,

Unde negant redire quenquam. ‡

* *Poſſevin. in Appar. Sacr.*
† *Thomaſin. in Elog. Toppi in Bibl. Neapol.*
‡ *Catullus.*

Fati quoque *Scriptoribus* annumeratur à *Naudæo* *

JACOBUS CARPENTARIUS,

inſignis Profeſſor Mathematum Pariſinus, qui celebres cum *Petro Ramo*, aut pro *Ariſtotele* & *Platone* exercuit lites, aut privatis de cauſis, ut vult *Verderius*, † quòd ei *Ramus* docendi munus ſine examine committere noluerit. Mortale fuit alterius in alterum odium, & hujus demum innocens victima *Ramus*, dum anno 1572. Bartholomæâ Cæde homicidæ *Ramo* à *Carpentario* immiſſi creduntur. Nec hujus tantum facinoris invidiam fert noſter; ſed duos doctiſſimos viros inſimulant uno ictu interfeciſſe, *Ramum* gladio, *Lambinum* metu. ‡

Idem *Naudæus* ⊥ dum *Carpentarium* nominat, &

OMPHALIUM ET RIOLANUM

Scriptoribus Fati annumerat.

* *Naud. de Fato*, §. 1.
† *Verdier. in Proſopogr.*
‡ *Thuan. ad ann.* 1597. *Patin. in Mſto.*
⊥ *Naud. de Fato*, §. 1.

Cæte-

Cæterùm circa hæc tempora

HIPPOLITUM CARACCIOLUM,

Canonicum Regularem Lateranenſem, Orationibus variis ad populum habitis fuiſſe percelebrem invenio, in quarum una *Providentiam Divinam* vivis coloribus depinxit, & ut cum aliis Venetiis 1599. typis exſcriberetur curavit. *

De Fortuna,

JACOBUS TIPOTIUS,

Fortunam aulicam expertus, commentari eo rectius potuit. Jurisconſultus Brabantinus erat, Herbipoli verò conſederat, cùm *Joannes*, Suecorum Rex, ſibi à Conſiliis eſſe juberet. Temporum decurſu mutatâ rerum facie, poſt obitum Domini ſui tantum apud *Sigiſmundum* filium & ſucceſſorem, improbitas adverſariorum valuit, ut carceri manciparetur, in quo libros III. *de Fortuna* compoſuit, † quibus ita Fortunam placaſſe videtur, ut libertatem recuperaret, & à *Rudolfo* II. Imperatore ad Hiſtoriam ſcribendam vocaretur, apud quem anno 1600. diem obiit ſupremum.

* *Poſſevin. in Appar. Sacro.*
† *Val. Andreæ in Bibl. Belgic.*

Poſt hunc ſcenam ingreditur

JUSTUS LIPSIUS,

celebris Profeſſor Lovanienſis, & Antiquitatum Romanarum ſtudio nulli ſecundus: adverſus hunc

GEORGIUS THOMSONUS,

Vindicem veritatis, libris duobus edidit, quorum prior fatuam ejus *de Fato* doctrinam refutat: ſed parcior eſt quàm vellem. Prodiit Londini 1606. *in* 8. Alcmaræ 1609. *in* 8.

ÆCULI VII. CRIPORES.

SÆculum XVII. illuſtraturo, triſte occurrit auſpicium, & favere linguis ut jubeam neceſſe eſt, dum ſubit infœlix imago miſerrimi

JULII CÆSARIS VANINI,

quem & *Lucilium*, *Luciolum*, *Lucium*que vocant. Hunc Italia genuit, Hiſpania, Germania, Anglia, Belgiumque vidit, Gallia coluit, & rogum ſtruxit. In Tauriſano, oppido regni Neapolis, natus eſt, patre *Joanne Baptiſtâ Vanino*, matre *Beatrice Lopez de Noguera*. Romæ literarum rudimentis imbutus, poſteà ſub *Bartholomæo*

mæo Argoto, *Petro Pomponatio*, *Joanne Bacconio*, Philoſophiæ & Theologiæ incubuit magnâ ſpe. Ingenium enim ei erat

Non parvum, non incultum, nec turpiter hirtum,

ſed turbidum novitatisque ſtudio deditiſſimum. Nova igitur ſectabatur, nova eo ſtudio quærebat, ut antiqua præ iis penitùs quaſi nota prætermitteret, immodicus amator ſui, aliorum irriſor. Præſertim Scholaſticorum tricas excutiens, leves argumentorum ſtructuras, Chryſippea retia in arduis abſtruſiſque difficultatibus, * minimè iis ſe probabat, qui cane pejus & angue Cenſores tales oderunt. Accedebant paradoxorum crebra aſſertio, *Ariſtotelis* immoderatus amor, Atheorum profana & improvidè relata dicta, cui veneno par antidotum non paraſſe videbatur. Prætereà ipſum miſerum & vagum vitæ genus, Medicinæ & Aſtrologiæ ſtudium, inconſideratus ſermo ſuſpectum reddebant. Arripuerunt igitur Toloſæ, loco ſancto, dicit *Gramondus*. † At poſtulatus corruptæ per novum dogma juventutis, probatione ambiguâ dimittebatur, cùm *Franconis* teſtimonio, qui prodibat tanquam ex machina, rogus ei ut Atheo decernitur, in quo lin-

* *Vanin. Dial.* 1. *pag.* 2. *de Arc. Nat.*
† *Gramond. in Hiſt. Gall.*

guâ abſciſſâ in cineres anno 1619. redactus eſt. Scripta ejus hodie extant, *Amphitheatrum* ſcilicet *æternæ Providentiæ divino-magicum, Chriſtiano-phyſicum, nec non Aſtrologico-Catholicum, adverſus veteres Philoſophos atheos, Epicureos, Peripateticos, Stoicos*, Lugduni 1615. *in* 8. excuſum, quod ſatis ſanum ac ſubtiliter *pro Animæ Immortalitate* diſputare, obſervat *Morhofius*. * Alterum eſt liber decantatiſſimus, *de admirandis Naturæ Reginæ Deæque mortalium Arcanis*, qui Lutetiæ 1616. haberi cœpit; ſed poſterior politius limatus non eſt, cùm ſurreptus Typographi nimis avidi obſtetricante manu prodierit, priuſquam ultimam manum adhiberet Autor. Alia itidem commemorat ipſe Opera: libros XVIII. *pro Concilio Tridentino* †; *Apologiam pro Moſaicæ & Chriſtianæ Legis veritate* ‡, *de Animæ Immortalitate* ⊥, *deque Fato Stoicq* β libros. *In Ariſtotelem de Generatione* γ, & *de Meteoris* commentatus eſt δ; in Philoſophia morum *de vera Sapientia* ſcripſit ζ, & *contemnenda Gloria* ϑ.

Libri

* *Morhof. in Polyhiſt.*
† *In Præfat. Amphith.*
‡ *Van. Amphith. Exerc.* VIII.
⊥ *Dial.* 28. *pag.* 172.
β *Dial.* 44. *pag.* 271. *de Arcan.*
γ *Exerc.* 33. *pag.* 231. *Amphith.*
δ *Exercit.* 50. *Amphith.*
ζ *Dial.* 51. *pag.* 369.
ϑ *Dial.* 50. *pag.* 359.

Libri Aſtronomici Argentorati elegantiſſimis typis excuſi ſunt, in quibus admiranda enarraſſe dicitur. *

Huic pergamus aliorum Fata ſubjungere. Ita

CAROL. HYACINT. PUTEANUS,

Bruxellenſis, Ordinis S. *Dominici*, Diſſertationem Paleſtricam habuit *de Providentia*, *Fato & Felicitate* hominum, Bruſſel. 1623. *in* 4. †

Locum quoque invenit

SCIPIO CLARAMONTIUS,

Cæſenas, [Pontificiæ ditionis oppidum eſt] Philoſophus & Mathematicus inſignis, & primis annumerandus, qui ſe Peruſiæ aliquandiu docuiſſe ipſe teſtatur. In Piſana Academia floruiſſe vult *Ricciolus*. Amore tamen patriæ maximam vitæ partem in ea tranſegit vir nobilis, equeſtri etiam auctus dignitate, & præclaris ſcriptis tantam ſibi nominis famam acquiſivit, ut cùm jam in cineres diu abierit mortale corpus, ingenium tamen poſteri non minus ſtudioſè

* *Dial.* VII. & XVI. *de Arc. Nat.*
† *Valer. Andr. in Bibl. Belg.*

venerentur quàm ſpirantem amicorum quiſpiam. Præter alia *Semejoticam moralem, ſeu de conjectandis Moribus, & latitantibus animi affectibus*, opus reliquit, auro contrà æſtimandum, quod ob inſignem uſum *Helmſtadii* recudi fecit *H. Conringius*.

Scopo præterea noſtro conſona quædam aliquando tractaſſe, ejus libri indicant verba. * *Quæ ſit Fortuna utrùm Providentia ipſa Divina, ut ad effectus nobis incognitos refertur, vel ut concurſum nobis incognitum cauſam jungit, an cauſa omninò per accidens, an cœleſtis aſpectus, non eſt hujus loci inquirere & determinare: qui veram ſimpliciter ſententiam noſſe deſiderat, Theologos adeat: nos phyſicè rem peculiari tractatione diſcuſſimus.*

JOANNES BEVEROVICIUS *motaque de fatali vitæ termino controverſia.*

CIrca hæc tempora vixit

JOAN. BEVEROVICIUS,

Medicinæ Doctor, Senator & Patritius Dordrechtanus, Vir tum aliis multis nominibus commendandus, tum quòd viris doctiſſimis ſui ſeculi autor ſuaſorque fuerit, indagandæ arduæ illius quæſtionis, *An certæ vitæ ſtent leges, quas tranſire nemo poſſit*. Prodiit ea in re Quæſtio ejus epiſtolica *de Vitæ Termino fatali*, Dordraci 1634.

* *Semejot. lib.* III. *cap.* IV. §. 4.

1634. *in* 8. auctior Lugduni Batav. 1636. *in* 4. libris 11. Quam licet lectu indigniſſimam judicent *Sorberiana*, * cenſurâ malim abſtinuiſſet ineptâ *Sorberius*, & in aliis ſubacerbus, cùm in alteram partem viri clariſſimi certatim eant. Et extant mutuæ Epiſtolæ doctorum Virorum, uno volumine excuſæ, de quæſtione propoſita, quæ diverſis inter ſe diſſidentes ſententiis, uno ore tamen *Sorberio* cenſoriam denegant autoritatem. Cauſam in his agunt:

Abrahamus vander Myle,
Theologus.

Andreas Colvius,
Theologus Dordrechtanus.

Andreas Rivetus,
Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Arnoldus de Reeck,
Medicinæ Doctor.

Caſparus Barlæus,
Medicinæ Doctor & Philoſ. Profeſſor.

Cornelius Beverovicius,
Theolog. Dordrechtanus.

Cornelius à Someren,
Conſiliarius & Medicus ejus loci.

Gerardus vander Laan,
Conſul Harlemenſis, in Conventu Procerum Bataviæ Delegatus.

Gis-

* *Sorberiana*, *pag.* 29.

Gisbertus Voetius,
Theologiæ Profeſſor Ultrajectinus.

Jacobus Crucius,
Theologus Delphenſis.

Joannes Beverovicius,
Autor Controverſiæ.

Joannes Junius,
Theologus Silvæ-Ducenſis.

Joannes Polyander,
Theologiæ Profeſſor Lugdunenſis.

Joannes Weſtenburgius,
Theologus Dordrechtanus.

Juſtus Cæcilius Puteanus,
Eryci filius.

Marinus Merſennus,
Ordinis Minimorum Theologus.

Simon Epiſcopius,
Artium & Theologiæ Doctor.

His parte tertiâ Lugduni Batav. 1639. *in* 4. Quæſita circa hanc Quæſtionem, acceſſerunt,

Annæ Mariæ à Schurmann.

Danielis Dammii,
Logices Profeſſoris Franeckerani.

Fortunii Liceti,
Philoſophiæ Prof. Bononienſis.

Fran-

Franciſci Sylvii,
Theologi Duacenſis.
Gabrielis Naudæi,
Pariſini.
Godſchalci Altii,
Theologiæ Licentiati.
Joannis Elichmanni,
Medicinæ Doctoris, operi immortui.
Thomæ Eraſti,
Medici & Philoſophi olim celebris.

Quorum nemo hoc argumentum infra dignitatem ſuam habuit.

Nec hos tantùm ſollicitavit materiæ pondus, ſed nec aliis clariſſimis viris indignum argumentum viſum eſt cui horas quaſdam ſubciſivas impenderent. In his *Claudium Salmaſium*, *Danielem Heinſium*, & vivam illam Bibliothecam *Gabrielem Naudæum*, illum licet jam nominaverim, qui mihi innotuerunt, appello, quibus in hoc decurrere campo placuit.

Quorum dum nomina commemoro, autoritas quædam inde Fati Scriptoribus non levis acceſſit, quòd hi Triumviri principes literarum ſui ævi non injuriâ æſtimentur.

Quis

Quis enim ignorat,

CLAUDIUM SALMASIUM,

Divionenſem, Gallum ob ſtupendi ingenii dotes à prudentiſſimis Reipublicæ Belgicæ Rectoribus dignum eſſe habitum, qui poſt obitum magni *Scaligeri* cathedram ejus teneret? Hujus quòd gloriam una occupaverit, ipſe ſibi debet ſuæque doctrinæ, quæ in variegato illo Philologiæ ſtudio ſine æmulo præeminebat. Unicum opus *Exercitationum Plinianarum ad Solinum*, ne de reliquis ſum ſollicitus, irrefragabile dabit teſtimonium, inexhauſtam fuiſſe hujus viri diligentiam & vaſtam lectionem. Idem loquuntur reliqua permulta, quæ compoſuit opera, partim prælo excuſa, partim neſcio quo orbis in angulo deliteſcentia. Poſteriori accedit ordini tractatus *de Fato*, cujus ipſe meminit in fine *Diatribæ de Annis Climactericis*: ſe ante annos duodecim jam confectum, & prælo paratum habere volumen ſatis grande *de Termino Vitæ, utrum fatalis ſit, an mobilis, num ille aliquâ vel nullâ arte ſit prorogandus*, occaſione quæſtionis à *Beverovicio*, Medico tum temporis hac controverſiâ celebri, ſibi propoſitæ, conſcriptum. Extat ſane de hac controverſia Epiſtola *Beverovicii* ad *Salmaſium* cum reſponſo ejus, dum opus ei mittit

mittit cum aliis *Beverovicii* Epiſtolis, & monet Typographus, quòd dum *Salmaſii* reſponſum in juſtum volumen excreverit, ſeorſim edere coactus fuerit. Videre verò hoc monumentum mihi non contigit. Inter opera prælo parata commemorat *Antonius Clementius*, vitæ *Salmaſii* compilator.

In eadem Academia Lugdunenſi eodem tempore elucebat incomparabile

DANIELIS HEINSII

ingenium & par judicium, qui nulla in re *Salmaſio* inferior fuiſſe videtur, niſi loco, juſſu ſuperiorum & magnitudine voluminum.* Hujus & alia doctrinæ ſunt monumenta, tum etiam quæſtionem à *Beverovicio* propoſitam enucleandam ſumſit, teſtimonio *Marci Zuerii Boxhornii*, qui cùm *Levini Lemnii* opuſculum *de Termino Vitæ* prælo iterum ſubmitteret, ipſumque *Beverovicius*, ut quædam literis conſignaret invitaſſet, partes *Heinſio* cedit, ne videatur Iliadem canere poſt *Homerum*: reſcribit enim:

Quid me deſtitutum ab omnibus,
Vir ſumme, *poſcis? qui nec interpres Deûm,*
Nec ſævientûm ſcriba Parcarum fui,
Nec Fata novi? Nunquid eſt tibi ſatis,

Tot

* *Meurſ. Athen. Batav. Patin. in MS.*

Tot magna ſæcli nomina hoc libro legi,
Et inter illa, quod ſuperbit, Heinſii
Illuſtre nomen? Solus hic pro millibus
Rex erudita gentis, & ſcientiæ
Dictator omnis, & quod haud ulli datum,
Qui mente penetrat cuncta: quæ cuncti ſciunt,
Complexus unus; unus atque omnis ſimul.
Quid ergo poſcis? Heinſius *dixit ſatis;*
Quamque ille dixit, approbo ſententiam. *

Idem

BOXHORNIUS,

benè dicendi Magiſter Lugdunenſis, cùm *Origines Gallicas* Amſtelodami 1654. *in* 4. ederet, *Druidum* Sapientum proverbium: *Inſervire Fortunæ uſque ad finem neceſſe eſt*, ſive *Characterem Fortunæ*, aliquot Jamborum Centuriis explicavit.

GABRIELIS NAUDÆI

Diſſertatio ad *Beverovicium de Fato & fatali Vitæ Termino* in Pentade Quæſtionum Iatro-philologicarum, Genevæ 1647. *in* 8. excuſa elegans ſanè, ut omnia hujus viri, fatum ſtudioſè removet. Ipſius vitæ quæ fuerint fata, ex Epitaphio cognoſces, quod *Ludovicus Jacobus* ei ponere conſtituerat.

D.

* *Boxhorn. in Carm. præm. Op. Lemnii.*

D. O. M.

GABRIELI NAUDÆO, LUTETIÆ PARISIORUM IN S. MEDENEI PAROCHIA HONESTIS PARENTIBUS IV. NONAS FEBRUARII MDC. NATO, MEDICO PATAVINO AC ROMANO, REGIO, ACADEMICO-HUMORISTÆ, PERPETUO ABSTEMIO, CANONICO VIRDUNENSI, PRIORI ARTIGUÆ APUD LEMOVICES INTEGERRIMO, PHILOLOGO EXIMIO, POETÆ A NATURA FORMATO, CULTORI MUSARUM CELEBERRIMO. HENRICI MEMMII, SENATUS PARISIENSIS INFULATI PRIMUM: DEINDE EMINENTISSIMORUM PRINCIPUM S. R. E. CARDINALIUM JOANNIS FRANCISCI A BALNEO ANTONII BARBARINI, S. PONTIFICIS URBANI VIII. EX FRATRE NEPOTIS ET JULII MAZARINI REGUM CHRISTIANORUM LUDOVICI XIII. ET XIV. ARCANORUM CONSILIORUM ARBITRI. TANDEM CHRISTINÆ, SUECORUM, VANDALORUM ET GOTHORUM REGINÆ, BIBLIOTHECARIO, VIRO RELIGIONE, PIETATE, MORUM INTEGRITATE, ET ANIMI CANDORE VERE CONSPICUO, VINDICI

VERITATIS FORTISSIMO, FIDELISSIMO OMNIBUS LITERATIS AMICO, SCRIPTORI VARIORUM LIBRORUM UTROQUE IDIOMATE ERUDITISSIMO, REDUCE EX SUECIA ABBATIS-VILLÆ APUD MORINOS VIOLENTI FEBRE CORREPTO, POST SUSCEPTA ECCLESIÆ SACRAMENTA DIE XXIX. JULII ANNO INCARNATIONIS MDCLIII. INTER SUORUM MANUS CHRISTIANE ET PIE MORTUO.

FRATER LUDOVICUS JACOB A S. CAROLO CABILONENSIS, ORDINIS CARMELITARUM, CHRISTIANISSIMO REGI A CONSILIIS ET ELEEMOSINIS, NEC NON EMINENTISSIMI S. R. E. PRINCIPIS JOANNIS FRANCISCI PAULI DE GONDI, CARDINALIS DE RETZ, TITULI S. MARIÆ SUPRA MINERVAM, ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS BIBLIOTHECARIUS; AMICO SINGULARI AMICUS SINGULARIS POSUIT

MONUMENTUM ÆRE PERENNIUS.

FErtilis fuit hæc ætas & aliis clariſſimis viris, & præcipuè *Thomâ Campanellâ*, *Hugone Grotio*, *Petro Gaſſendo*, *Joanne Baptiſtâ Morino*.

In his

THOMAS CAMPANELLA,

Stilo, Calabriæ oppido oriundus, Vir tam ardentis & portentoſi ingenii fuit, ut de eo dictum ſit, *unde literas ſcit, cùm non didicerit?* Omnes ſcientiarum ordines inſignis novator tranſiit. Non igitur illuſtrem potuit prætermittere *de Fato* tractationem. Veluti *de Fato ſiderali vitando* opus compoſuit, quod primo loco inter libros ejus aſtrologicos comparet, Lugduni 1629. *in* 4. ſumptibus *Jacobi Andreæ* & *Mathiæ Proſt* editos. Eundem ad illuſtriſſimum Comitem Braſſacum, Regis Chriſtianiſſimi ad ſummum Pontificem Oratorem, poſtquam libertatem recuperaverat, *Centonem Thomiſticum de Prædeſtinatione & Reprobatione*, *Auxiliis*, *libero Arbitrio* adverſus Pſeudo-Thomiſtas deſtinaſſe, ex ipſo *de recta Ratione ſtudendi* diſcimus. Sed cùm poſterior Theologorum Scholam ſpectet, alium locum meritò, ut de eo dicamus, poſtulat, qui jam inter Philoſophos Fati interpretes verſamur. Quæ verò fuerint

fata *Campanellæ*, in Vita jam expoſuit *Cyprianus*, Amſtelodami 1705. *in* 8. Triſte ſanè intemperantis ingenii dedit exemplum, cùm acumine nimio pupugiſſet cucullatos, eorumque calumniâ, ac ſi Turcis urbem & Regnum Neapolitanum prodere voluiſſet, in vincula conjectus, maximam vitæ partem inter tormenta & vexationes ſuorum egit.

HUGO GROTIUS

Delphis 1583. natus eſt, patre *Cornelio Grotio*, viro Latinè, Græcè & Hebraicè doctiſſimo. Hagæ-Comitis juvenis admodum cauſas egit, mox Fiſci curam gerere juſſus eſt. Creſcente famâ, crevit honos, & Roterodamenſes urbis Oratorem, quem *Penſionarium* vocant, elegerunt. Illo tempore Synodus Dordracena doctrinam *Arminii*, celebris Profeſſoris, atro notabat lapillo, cujus ſententiæ fulmen cùm omnes illos peteret, qui diverſas à Principe Auriaco in Republica tuerentur partes, ſpecie Religionis, tam benè actum eſt, ut *Barneveldius* ſtudium libertatis capite lueret, *Grotius* perpetuis vinculis addiceretur. Ac ſæculo eripuiſſent hoc lumen invidi, niſi ex eorum manibus arcâ libriâ, ope uxoris, fuiſſet elapſus. Tum Lutetiam petiit, & Legatum ibi *Chriſtinæ*, Reginæ

Reginæ Suecorum, diu egit. Indè evocatus, cùm Maris Balthici littora legeret, naufragus & ſemianimis Roſtochium delatus, *Quiſtorpio* præſente animam Creatori reddidit, * cælo dignam. Collegit noſter Sententias Philoſophorum *de Fato*, & *de eo quodnam eſt in noſtra poteſtate*, Amſtelod. 1640. & 1648. *in* 12. editas; *Alcinoi* videlicet, *Alexandri Aphrodiſienſis*, *Ammonii*, *Apuleji*, *Bardeſanis*, *Chalcidii*, *Chryſippi*, *Ciceronis*, *Clementis Alexandrini*, *Clementis Romani*, *Diogeniani*, *Epicteti*, *Epicuri*, *Gellii*, *Hieroclis*, *Jambilichi*, *Joſephi*, *Juſtini Martyris*, *Lucretii*, *Maximi Tyrii*, *Maimonidis*, *Origenis*, *Platonis*, *Plotini*, *Plutarchi*, *Procli*, *Scriptoris de Placitis Philoſophorum in operibus Plutarchi*, *Scriptoris Reſponſionum ad Orthodoxos*, *Simplicii*, *Taciti*, *Tatiani*.

His miſſis ad

PETRUM GASSENDUM

propero, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitum, & in Academia Pariſienſi Profeſſorem Regium, virum multis meritis ſcriptiſque clariſſimum. Is cùm 1592. natus eſſet, & Muſis & amicis chariſſimus, quicquid

* *Witte in Memor. Bateſ. in Vit. Select. Meurſ. Athen. Batav.*

otii ipſi erat literis impenderet, plurima ingenii compoſuit monumenta, quæ unà prodierunt, Lugduni 1658. *fol.* tomis aliquot. Et edita quidem ante obitum, [qui ei anno 1655. climacterico ſuo contigit] Autor recenſuit, auxit, illuſtravit. Poſthuma in lucem prodierunt ex Bibliotheca Illuſtr. *Henrici Ludovici Haberti Monmorii.* Quibus Vitam eleganter ſatis ſcriptam præmiſit *Samuel Sorbierius.* Horum Volumine II. libro III. ſententiam ſuam *de Libertate, Fortuna, Fato & Divinatione* expoſuit, oſtendens quid ſit *Libertas, ſeu liberum Arbitrium, quid Fortuna, quid Fatum, & quomodo ſingulorum conciliatio inſtituenda:* nec non *quid de Divinatione ſeu præſenſione rerum futurarum merè fortuitarum credendum.* In his, ut in aliis Philoſophiæ partibus hujus operam expendiſſe non pœnitebit; optimis enim Autorum locis abundat, quos, ut ſolet, judicio ſelegit ſingulari, *Epicurum* Præceptorem ſecutus, cujus penè demortui *Æſculapium* ferunt; ita tamen, ut doctrina Chriſti cum iſtius ſtare Philoſophia poſſit.

Huic,

Huic, cùm viveret, acerbæ cum

JOANNE BAPTISTA MORINO

intercedebant lites & penè indiſſolubiles; apud nos, uti eodem anno mortalitatis impleverunt leges, eandem implent paginam. Erat autem *Morinus*, Francopolitanus, è Bellejocenſibus apud Gallos, anno 1583. ortus. Medicinæ primò ſtudium omne ſuum addixerat, effeceratque ut in ea Doctoris titulo ornaretur, cùm ſubitò ſcientiæ mathematicæ eo ardore incenderent, ut has reliquis omnibus diſciplinis præferre non dubitaret. Quæ quidem in diſcendo aviditas haud modicè crevit, poſtquam beneficio *Mariæ Mediceæ* Reginæ, Mathematum Profeſſor Regius Lutetiæ renuntiatus eſt. Tum varia edidit ingenii non inculti monumenta, quæ partim in publica luce verſantur, partim tineis blattiſque pabulum præbent, aut fortaſſe ſcombris tunicas dederunt moleſtas. Inter hujus ſcripta anecdota extiterunt libri III. *de Concurſu primæ Cauſæ cum ſecundis in actionibus, tum naturalibus, tum præternaturalibus*; id eſt, quod *Providentiam* dicimus: de qua circa annum 1650.

SAMUEL RHETORFORTIS,

aliàs *Rhuderford*, librum compoſuit. *

* *König in Biblioth.*

Cui meritò jungendus

LEVIN. NICOLAUS MOLTKE,

Eques Megapolitanus, literis non minus quàm genere nobilis, ſereniſſimo Duci Holſatiæ *Friderico* à Secretioribus Conſiliis, & educatione filiorum. Is cùm utrumque Principem, *Fridericum* & *Joannem Georgium*, fidei ſuæ commiſſum in itinere, illum Lutetiæ 1654. hunc 1655. in Italia morbo amiſiſſet, mœrens: *De diverſo hominum Propoſito & Conatu* ſcripſit, & Tractatum *de admirando Dei Regimine & ſingulari Providentia*, Slevici 1661. excudi fecit. Videre illum mihi non contigit. Quod tamen illo *Fatum, ejuſque definitionem, neceſſitatem, conditionem, aliaque hujus argumenti* tradiderit, mihi

CHRISTOPHORUS ANDREAS BRUNNERUS

teſtis eſt, in *Fato Theologico-hiſtorico*, Lipſiæ 1704. edito, * qui idem de hoc themate

DANIELEM WULFER,

Verbi Divini Miniſtrum Norimbergenſem, citat. †

Quod

* *In Addend. §. 2. pag. 2.*

† *Brunner. part. 1. pag. 2, & in Add. loco citato.*

Quod ſupereſt,

MAURITIUS, Comes DE FLISCO,

edidit *Decadem de Fato*, *anniſque fatalibus tam hominibus quàm regnis mundi*, Francofurti 1665. *in* 4. De hujus curioſi Operis occaſione & inſtituto Autor ipſe: *Cùm eſſem*, * inquit, *annorum viginti*, *hujus verò ſeculi* 1655. *ſcripſeram perbreve opuſculum*, *quod Romæ primò*, *poſteà alibi miſſum fuit*, *cui titulus:* An Reſpublica Veneta anno 1656. ſit paſſura imminentes Italiæ calamitates, *exitumque habuiſſet veritate ſucceſſuum comprobatum*, *tum in Peſte Neapolis*, *Romæ & Genuæ*, *tum in morte Principis Venetiarum*, Caroli Contareni, *tum in mundi Revolutionibus*; *hocque typis non fuit conſignatum: quare in gratiam Magnatum*, *aliorumque amicorum altiora propalare coactus*, *improbo labore conſtruxi hoc opus* de Fato, *quod in manus cujuſdam Principis emortuum ab anno* 1658. *uſque adhuc remanſit*, *non ſine ſpe editionis*; *cauſas non aperio*, *Lector*, *quia te ſtomacho benè valere cupio. Solùm hoc non te ignorare volo*, *quod aures præbuit precibus quorundam*, *qui ſcrupulis tentantur*, *ultra non addo. Cùm autem multi efflagitarent*, *quidnam eſſet de hoc opere*, *coactus opuſculum ſcripſi* de Mutationibus

* *In Præfat.*

Sectarum, Imperiorum & Regnorum Mundi, *Lugduni impreſſum anno* 1662. *hoc ſpecioſo titulo*, Monarchæ futuro, *quod utinam ab eo abſtinuiſſem, non fuiſſet tantus de me rumor, & Principum indignatio. Secundum edidi de* Parœmia Pontificum: Non videbit dies Petri, anno 1663. *Tertium* de Fato Auſtri, *anno* 1664. *hæc tria opuſcula ferè tota in hoc opere continentur.*

Quod *Decadem Sphærarum ſecundùm Cabaliſtas* continet; in quibus Sphæra

Decima agit *de Deo, de Creatione Univerſi*, introduciturque *Fatum*, & hac occaſione *quædam de magicis percurrere* placuit.

Nona, *quid ſit & quotuplex Fatum*, exponit.

Octava, *de Fato interno in nativitate.*

Septima, *de Fato externo in phyſiognomia, Metopoſcopia, Chiromantia* agit.

Sexta, *Fatum in mundo per oſtenta & prodigia* exponit.

Quinta *per numeros.*

Quarta *per annos climactericos.*

Tertia occaſione capitis antecedentis *de Termino fatali Vitæ* quærit.

Secunda *in diebus Fatum* ponit, & *de diebus criticis* tractat.

Prima *Fatum Regnorum & Rerumpublicarum per cœleſtes cauſas, numeroſque Platonicos; in ſpecie Fatum Urbis Romæ* exponit.

In

In quo cùm quæpiam intermiſcuiſſet, quæ Romanis quàm maximè diſplicebant, quatuor in locis, quantum ſcio, fœdè caſtrarunt, pag. 27. 131. 241. 249. Plagulam indicem commiſſi facinoris mecum habeo, nec ipſi diffitebuntur.

Poſtremò ſcenam ingreditur

JOAN. HENRIC. BOECLERUS,

Profeſſor Argentoratenſis celeberrimus, cujus præclara in literas extant merita. Utinam is rerum civilium peritiſſimus Judex, qui *Theatrum Fati* ſcribere voluit, librum illum abſolviſſet! magnam huic argumento facem accenſam haberemus, inquit

DAN. GEORG. MORHOFIUS; *

ſed illi labori, uti & Morhofiano *de Fato Politico*, † iniquæ manum injecerunt Parcæ. Nam plurima & hujus excellentiſſimi Viri, qui Roſtochii & Kilonii ad annum 1691. ætatis quinquageſimo tertio magno ſucceſſu docuit, in tenebris latent Opera, multa quidem poſthuma aliorum obſtetricante

* *Morhof. Polyhiſt. lib.* 1. *cap.* XII.

† *In Vit. Polyhiſt. præmiſſa, & Diſſert.* 1. *Theol. Gent. polit. pag.* 19.

cante manu prodierunt; ſed exſanguia, & quæ vix parentem referunt. In publico luctu, quòd cum egregiis ſcriptis ita agat *Fatum*, in mentem redeunt *Horatii* verba:

Cur his animis incolumes non redeunt genæ?

vel, ut *Plinius* Secundus: * *Mihi*, inquit, *videtur acerba ſemper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quaſi in diem vivunt, vivendi cauſas quotidie finiunt. Qui verò poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.*

SUperſunt plures, quos referre poſſem, ſed parco ſciens, ne immemor propoſiti, Epiſtolæ modulum tranſgrediar, qui hac de cauſa, præcipuos potius quàm omnes meâ oratione proſecutus ſum Autores. Scholam verò Theologorum vix attigi, quæ alteram partem noſtræ Diſſertationis commodiſſimè traderet. Ac ſanè Scriptorum, qui *de Præſcientia Dei*, & *Sapientia humana*, *Prædeſtinatione & Reprobatione*, *libero hominis Arbitrio*, *Divinaque Gratia* diſſeruerunt,

Tanta abundat copia,
Labori ut ſaber deſit, non fabro labor.

Cele-

* *Plin. lib. 5. Epiſt. 5.*

Celebris eſt inter Germanos *de Termino peremptorio, ſeu fatali Divinæ Gratiæ* controverſia, & quæ ſunt alia; ſed de iis digitum labellis admoveo. Mihi enim ipſi arctas ſcribendi metas pono, & ſollicitè ſtudeo, ut hæc præparatio, gravis potius quàm ampla videatur. Novi ſcilicet, ad quos verba faciam, & quod ſumma & immenſa negotia Veſtra, prolixam & luxuriantem Orationem reſpuant. Pauciſſimis igitur, quibus potero verbis, *Decadem Scriptorum incertæ ætatis*, & *Diſſertationes Germanorum* adjiciam, nec verbum addam.

INCERTÆ ÆTATIS AUTORES.

ANDRONICI ita CALLISTI MS. *de Fortuna* Romæ in *Bibliotheca Vaticana* & *Strozzæ* extare, notavit *Iſraël Spachius.* *

THEODORUS THULDENUS,

Silva-Ducenſis Juriſconſultus, reliquit *de Providentia* libros IV. †

CONRADUS PEUTINGERUS,

Auguſtanus, Juris utriuſque Doctor, & Conſiliarius Cæſareus, *de Fortuna* ſcripſit, ut commemorat *Melchior Adami.* ‡

AL-

* *In Nomencl. Philoſoph.*
† *Valer. Andr. in Bibl. Belg.*
‡ *Melch. Adami in Vit. Juriſconſult.*

ALBERTINUM MUZATUM,

Patavinum, *de Fato* extare, affirmat *Geſnerus*.

MICHAELIS CARRARIENSIS

de Fato & Fortuna librum 1. commemorat *Jo. Philippus Bergomenſis.* *

ASCAN. CENTON. HORTENSIUS,

Mediolanenſis, Eques *Divi Jacobi*, literis inſignis, Latinè *de utraque Fortuna*, & in *Plutarchi* libellum *de Fortuna* ſcripſit; †

& PETRUS TRAVERSINUS,

Mantuanus, Carmelita, Theologus, in MSS. Codicibus Bibliothecæ Carmelitarum Mantuæ *de Providentia Dei* olim extitit. ‡

* *In Chron. lib.* 15. *pag.* 410.
† *Ghilin. in Theatr. Viror. illuſtr.*
‡ *Poſſevin. in Appar. Sacr.*

Apud

Apud Hiſpanos

DIEGUM DE VALERA

Tractatum ſcripſiſſe *de Providentia contra Fortunam* invenio, qui inter Codices MSS. Bibliothecæ Scorialenſis erat: uti etiam

LUDOVIC. DE VALLEDOLID,

in librum quintum *Boëthii de Conſolatione*, in qua tractat *de Poſſibilitate liberi Arbitrii, & Providentia Divina.*

ALPHONSI SPINÆ

Dialogus *de Fortuna*; &

Viterbienſis cujuſdam libri III. *de Fortuna* ibidem extabant, fide Catalogi Bibliothecæ *Magnæi Arnæi*, * celebris Profeſſoris Hafnienſis.

UT denique Scholarum celeberrimarum ſcrinia in noſtro argumento excutiamus, DISSERTATIONES VARIÆ.

FRANCISCI BURMANNI

Diſſertationes IV. *de Providentia Divina*, Roterod. 1688. *in* 4. excuſas invenio.

Quarum

* *In Catalogo Mſſt. Mſto.*

Quarum Prima *Exiſtentiam ejus* probat.
Secunda *actus* diſtinguit, *ſeu cooperando cum cauſis ſecundis, ſeu gubernando & deducendo ad ſuum finem.*
Tertia *Contingentia venire* docet, *non ex conditione aliqua Cauſarum ſecundarum, ſed voluntate divinâ neceſſariò fieri, ex ſuppoſitione Divini Decreti, contingenter & liberè ratione Arbitrii humani, quæ non pugnent.*
Quarta *doctrinam de Fato* proponit. *

De *Fortuna* legi poſſunt

LUDOVIC. HAVENREUTERUS,

Medicinæ & Philoſophiæ Doctor, & Profeſſor Phyſices Argentoratenſis, qui *de Cauſis per accidens, Fortuna & Caſu*, 1618. *in* 4. diſſeruit.

JOANNES SPERLINGIUS,

Phyſices Profeſſor Wittebergenſis, anno 1634. *de Fortuna, Caſu & Monſtro*, & ad *J. C. Scaligeri* Exercitationem VII. in *Cardanum*; *de Natura, Anima Mundi, Fortuna, Fato & Caſu*, anno 1652. *in* 4. egit.

* *Act. Erud. Lipſ. Supplem. tom.* 1. *ſect.* 9.

Nec

Nec non

M. ANDREAS BEYER,

Lipſ. 1661. *in* 4.

JOAN. CHRIST. HUNDESHAGEN,

Jenæ 1663. *in* 4.

D. FELIX SPICIUS,

qui *de Fortuna* diſſeruerunt.

De Fato extant Diſſertationes,

M. JOANNIS PARPARDI,

de Fato Phyſico, Witteb. 1661. *in* 4.

M. JO. BALTHASARIS RUNDE,

de Fato Chriſtiano, Witteb. 1696. *in* 4.

Diſſertatio

CONSTANTINI ZIEGRÆ,

S. Theologiæ Doctoris, & Phyſices Profeſſoris, *de Fato*, Witteb. 1665. *in* 4. edita eſt, qui eodem anno *de Fortuna & Caſu* commentatus eſt.

Et

M. VALENTINUS FRIDERICI,

Lipſiæ *de Fato* egit.

Diſſertatio

M. JO. HIERONYMI DE WEDIG,

quæ inſcribitur, *Decretorum Dei & liberæ Voluntatis humanæ Conciliatrix*, Witteb. 1690. haberi cœpit.

Fatalem Rerum Neceſſitatem ſub præſidio

CHRISTIANI DONATI,

Logices & Metaphyſices Profeſſoris publici, in Cathedra Wittebergenſi, anno 1676. *in* 4. expoſuit *Wagnerus*.

Declinationem Fati,

D. GOTTFRIED VON JEHNA,

Profeſſor Francofurtenſis.

Vanitatem & periculum Fati,

D. PHILIP. LUD. HANKENIUS,

Gieſſæ.

Præ-

Prætereà *de Fatalitate Temporum*

JOANNES SCHMIDIUS,

Dicographus Norimbergenſis;

De Fatalitate Locorum

DONDORFIUS

diſſeruerunt.

De Fato ad *Juſti Lipſii Politicor.* lib. 1. cap. 4. anno 1689. egit

JO. PHILIPPUS SLEVOGT,

Juriſconſultus Jenenſis. *

Utrùm Fata Religionum, Imperiorum Urbiumque dependeant ab aſtris, tribus Diſſertationibus negavit

JO. FRIDERICUS MAYERUS,

S. Theologiæ Doctor, Summus Sacrorum Antiſtes Pomeraniæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus Suecicæ Majeſtatis aliorumque Principum, Profeſſor Kilonienſis & Grypswaldenſis, Hamburgi 1700. *in* 4.

* *Richard. de Profeſſ. Jenenſibus.*

De fatalibus Perſonarum Nominibus

SEBASTIANUS SCHMIDIUS,

S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Argentoratenſis; &

DAN. GUILIELM. MOLLERUS,

Metaphyſices & Hiſtoriarum Profeſſor Altorfinus, anno 1685.

Speciatim *de Fatalitate nominis* FRIDERICI AUGUSTI

KIRCHMAIERUS

Exercitia Academica propoſuerunt.

His ſocii comiteſque jungendi

D. JOAN. CAROL. NÆVIUS,

de Terminis fatalibus;

JO. ANDREAS SCHMIDIUS,

S. Theologiæ Doctor, Profeſſor Jenenſis, & mox Theologiæ & Antiquitatum Sacrarum in Academia Julia, *de Termino Vitæ, an poſſit produci, an abbreviari?* Jenæ 1680. *in* 4. Idem, ſi *Fata Diſciplinarum* adjicere volumus, *de Fato Diſciplinarum mathe-*

mathematicarum programma edidit: veluti *de Fatis Studii Genealogici*

JAC. FRIDERIC. REIMMANN,

Rector Scholæ Halberſtad. anno 1694.

D. P. MULLERUS, &

D. NIC. CHRISTIAN. LINCKER,

de Præoccupatione Fati diſſeruerunt.

Denique

JO. CONRAD. RHUMELIUS,

Med. Doct. Norimb. anno 1632. ſingulari Diſſertatione hunc verſum expoſuit:

Omnis & inſtabili Sors fluctuat acta rotatu.

Hæc ſunt, VIR ILLUSTRISSIME, quæ hâc vice ad *Te* mittere audeo, ut ſi tanti *Tibi* videbuntur, illis momentum temporis benignè impendere velis. Eſt quidem exile munus, *Tuoque Splendori* impar, quem in excelſo humani Generis faſtigio poſitum, ſummâ eloquentiâ, ſummâ eruditione præditum, religiosè etiam adiri à ſalutantibus ſcio, & ideò immenſa præter cæteros ſubit cura, ut quæ *Tibi* dicantur, *Te* digna ſint: *Verùm & Diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa, quæ non habent thura.* *

* *Plin. in Præfat. Hiſtor. Natur.*

INDEX AUTORUM.

A.

ABdias. 30.
Ægidius Columnius, *ſive* de Roma. 42.
Ælianus *Claudius*. 27.
Alexander Aphrodiſienſis. 21.
Ambroſius Neapolitanus. 60.
Ammonius. 13.
Andronicus Calliſtus. 93.
Aquinas *Thomas*. 41.
Ariſtippus. 11.
Ariſtoteles. 18.
Aſclepius. 2.
Auguſtinus. 38.

B.

BAldinus *Baccius*. 51.
Bardeſanes. 36.
Baſadonna *Joannes*. 61.
Beyer *Andreas*. 97.
Beroaldus *Philippus*. 52.
Beverovicius *Joannes*. 74.
Bleſenſis *Petrus*. 40.
Boeclerus *Joannes Henricus*. 91.
Boëthius *A. M. T. Sever*. 28.
Boëthus. 9.
Boxhornius *M. Zuerius*. &c.
Bradwardinus *Thomas*. 44.
Brunnerus *Chriſt. Andr*. 88.
Budæus *Guilielmus*. 57.
Burmannus *Franciſcus*. 95.

C.

CAlliſtus Andronicus. 93.
Campanella *Thomas*. 83.
Caracciolus. 69.
Cardanus *Hieronymus*. 64.
Carpentarius *Jacobus*. 68.
Carrarienſis *Michaël*. 94.
Chryſippus. 8.
Chryſoſthemus *Joannes*. 36.
Cicero *Marcus Tullius*. 23.
Claramontius *Scipio*. 73.
Columnius *Ægidius*. 61.
Conſtantinus *Imperator*. 33.
Crito, *ſive* Damippus. 5.
Cuſa *Nicolaus de*. 49.

D.

DAmippus, *ſive* Crito. 5.
Delphinus *Joan. Antonius*. 65.
Demetrius Phalereus. 20.
Democritus. 3.
Dio Chryſoſthemus. 26.
Diodorus. 35.
Diogenianus. 8.
Domaninus *Lactantius*. 66.
Dominicus *Joannes*. 49.
Donatus. 98.
Dondorf. 99.

E.

ENgelbertus. 44.
Epicurus. 10.
Euryſius. 5.
Euſebius. 34.

F.

FElix *Minutius*. 31.
Fliſco *Mauritius de*. 89.
Francus *Nicolaus*. 61.
Friderici *Valentinus*. 97.

Gaſ-

INDEX AUTORUM.

G.

Gansfortius *Basilius*. 51.
Gassendus *Petrus*. 85.
Gaza *Theodorus*. 52.
Gregorius Nyssenus. 35.
Grotius *Hugo*. 84.
Guarimbertus *Girolamus*. 61.

H.

Hanckenius *Ph. Ludov*. 98.
Havenreuterus. 96.
Heinsius *Daniel*. 79.
Helena *Flavia*. 33.
Hermanni *Joann. Wesselus*. 51.
Hermes. 1.
Hero *Albertus*. 66.
Hierocles. 17.
Hippodamus. 5.
Hortensius *Ascan. Centon*. 94.
Hundeshagen. 97.

I.

Jambilichus. 16.
Jehna *Gottfried von*. 98.

K.

Kirchmayerus. 100.

L.

Lemnius *Levinus*. 62.
Lydgatus *Joannes*. 46.
Lincker. 101.
Lipsius *Justus*. 70.

M.

Mayer *Joan. Frideric*. 99.
Minutius Felix. 31.
Mollerus *Dan. Wilhelmus*. 100.
Moltke *Levinus Nicolaus*. 88.
Morhofius *Daniel Georgius*. 91.
Morinus *Joannes Baptista*. 87.
Muller. 101.
Muzatus. 94.

N.

Nævius *Joan. Carol*. 100.
Naudæus *Gabriel*. 80.
Nicephorus Gregoras. 43.
Nyssenus *Gregorius*. 35.

O.

Omphalius. 68.
Origenes. 31.

P.

Paracelsus *Theophrastus*. 60.
Parpardus. 97.
Petrarcha *Franciscus*. 45.
Peutingerus. 93.
Philo. 29.
Philopator. 21.
Picus *Joannes Franciscus*. 57.
Pierius Collutius. 48.
Plato. 11.
Pletho *Georgius Gemistus*. 47.
Plotinus. 13.
Plutarchus. 26.
Polizelus. 21.
Poëmander. 2.
Pomponatius *Petrus*. 58.
Pontanus *Joan. Jovianus*. 54.
Porphyrius. 14.
Portius *Simon*. 60.
Posidonius. 9.
Proclus. 15.
Prosper *Tyro*. 38.
Puteanus *Carol. Hyacinth*. 73.
Pythagoras. 4.

Reim-

INDEX AUTORUM.

R.

Reimmann. 101.
hetorfortis, *ſive* Rhuderfort *Samuel.* 87.
humelius *Joan. Conradus.* 101.
iolanus. 68.
unde *Joan. Balthaſar.* 97.

S.

Almaſius *Claudius.* 78.
lvianus. 39.
lutatus *Collut. Pierius.* 48.
hmidius *Joannes.* 99.
hmidius *Joan. Andreas.* 100.
hmidius *Sebaſtianus.* 100.
hotenius *Hermannus.* 58.
neca *Lucius Annæus.* 24.
pulveda *Joannes Geneſius.* 55.
lvius *Æneas.* 46.
enius *Julius.* 63.
vogt *Joannes Philippus.* 99.
ojus *Reinerus.* 58.
crates. 6.
eronus *Spero.* 65.
erlingius *Joannes.* 96.
hærus. 9.
icius *Felix.* 97.
ina *Alphonſus.* 95.
nbery *Joannes.* 50.
neſius. 37.

T.

Aſſus *Torquatus.* 67.
rtullianus. 30.
Theodoretus. 39.
Thuldenus *Theodorus.* 93.
Thomſonus *Georgius.* 70.
Tipotius *Jacobus.* 69.
Tiro Proſper. 38.
Traverſinus *Petrus.* 94.
Trithemius *Joannes.* 53.
Trivethus *Nicolaus.* 43.

U.

Ulpianus Veronenſis. 61.

V.

Valera *Diegus de.* 95.
Valerianus *Joan. Pierius.* 54.
Valledolid *Ludovicus de.* 95.
Vaninus *Julius Ceſar.* 70.
Varro *Marcus Terentius.* 22.
Veronenſis *Ulpianus.* 61.

W.

Wedig *M. Jo. Hiew. de.* 98.
Weſſelus *Joannes.* 51.
Wimpina *Conrad. Cocus.* 56.
Wulffer *Daniel.* 88.

X.

Xenocrates. 12.

Z.

Zeno. 6.
Ziegra *Conſtantinus.* 97.